



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. Lib. Noni sunt XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

IOANNIS AZORII LOR- CITANI E SOCIE-

TATE IESV,

INSTITUTIONVM MORALIVM Pars secunda:

LIBER NONVS.

Derebus Ecclesie quæ alienari vel non
alienari queant.

CAPVT I.

Quibus de causis res Ecclesie alienari
queant.



DE hac te agitur io. 9. 11. & 17. quest. 3. cap. ad constitutum. §. occasiones. vsque ad §. sed notandum. & 16. q. 6. & 12. quest. 2. & lib. 3. Decretalium titulu. 13. est de rebus Ecclesie alienari. vel non alienandis.

Primo queritur, Quo iure sit alienatio rerum Ecclesiasticarum prohibita? Respondeo, tum Canonicum, tum Civile ius venisse res Ecclesiarum alienari, ut constat ex causa 12. quest. 2. per aliquot capitula. c. Nulli. cap. Si quis presbyterorum, cap. possessiones, cap. ad audientiam. de rebus Ecclesie alienandis, vel non alienandis, & Authentice. De non alienandis permittitur. rebus Ecclesie. Authen. de Ecclesiarum immobil. alienandis. Authen. de Alienat. & Emphyteu. §. ea vero. Sed leges, & iura Civilia vim, & locum duntaxat habent, quatenus iure Canonico confirmantur.

Secundo queritur, Quid in hac parte alienationis nomine Canones, leges, & iura significant? Glossa in cap. Nulli. de rebus Ecclesie alienandis. 12. quest. 2. capit. 1. docet alienationis nomen latissime in hac materia sumi: quamuis alioqui strictius & pressius sumitur & accipitur in l. 1. C. De fundo dotali, vbi dicitur. Est alienatio, omnis actus, per quem rei dominium transfertur, vbi Glossa, conuertendam esse propositionem, ait, hunc in modum: omnis actus per quem rei dominium transfertur, est alienatio. & in l. 1. C. de Iure Emphyteutico: In emphyteuticum, inquit, neque conductionis, neque alienationis est titulus adiciendum, sed hoc ius tertium esse constitutum. vbi Glossa, notauit, alienationis nomine Emphyteusum non contineri, quia res in Emphyteusum data potest certis ex causis reuocari, ut habetur in l. 2. C. eod. tit. Item, quia dominium rei emphyteuticæ penes dominum remanet: cum tamen in alienatione rei dominium ad alterum transeat & l. Alienationes ff. de ver. & verb. signific. dicitur: in alienatione vsucapionem contineri, quamuis ibi Glossa dicit: Non omnis res, quæ vsucapi potest, alienari potest: nam res litigiosa vsucapi potest, non tamen alienari.

Alienationis igitur nomen in presenti instituto fusiuse accipitur, nam c. Nulli. de reb. Eccl. non alien. sic est: Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuticum perpetuum contractum. Aliqui codices legunt conductionem, alij conditionem: ita ut res Ecclesie donari nequeat sub conditione: vt puta, dono tibi hosce libros, si nauis ex Asia venerit. Nam sic etiam late sumitur in l. Sancimus. C. de rebus non alienandis. vbi statuitur. Statuimus. siue lex alienationem inhi- buerit, siue testator hoc fecerit, siue pactio contrahentium hoc admisserit, non solum domini alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed vsusfructus donationem,

vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi: similimodo, ut seruitus minime imponi, neque emphyteusis contrahatur, nisi in hic tantummodo casibus, in quibus. Constitutionum auctoritas, vel testatoris voluntas, vel pactio tenor qui alienationem interdixit, aliquid tale permiserit. Ita lex. Nota illud: siue lex alienationem inhi- buerit, siue testator, siue pactio contrahentium: quoniam his tribus modis solet rei alienatio interdici: ut lex Iulia. v. g. prohibet fundum dotalem alienari. Item res minorum alienari nequeunt. l. 1. ff. de rebus eorum, qui sub tutela sunt. Res item Ecclesiarum, l. subimus. C. de Sacrosancti. Eccl. Aliquando testator verat aliquid alienari extra familiam. l. Cum pater. §. Liberis. ff. de Legat. 2. Aliquando pactio contrahentium, ut si domum meam tibi vendidero, eo pacto ne eam alienes.

Voluerunt igitur leges, & Canones hac in parte Alienationis nomen latissime iungere, ita ut in rebus Ecclesiarum nec possit vsusfructus constitui, nec seruitus imponi, nec res Ecclesie pignori dari, speciali hypothecæ subijci, in Emphyteusum coaccedi: & tamen vsusfructus, & seruitus in re aliena existunt: & pignus, res est debitoris: & rei emphyteuticæ proprietates, & dominium penes dominum relictæ. Vnde Baldus, in l. vlt. C. de reb. alienis non alienandis. Prohibita, inquit, alienatione, simpliciter videtur prohibitus omnis actus, per quem alteri queritur aliquid in re. Vnde comprehendit etiam contractum, per quem dominium utile transfertur.

Tertio queritur, Quot, & quibus causis res Ecclesiarum alienari queant? Respondeo cum Glossa. 12. q. 11. in princ. verb. Nunc queritur, quatuor de causis concedi, ut alienari queant. Primo, causa necessitatis: ut si Ecclesia ex re alieno grauetur, & aliunde soluendo non sit, ita ut ex fructibus soluere non possit. c. Hoc ius. 10. q. 11. Secundo, causa pietatis, videlicet ad captiuos redimendos, ad pauperes alendos: Vnde in c. Aurum. 12. q. 11. ex Ambrosio illud refertur: Aurum Ecclesia habet, non ut seruet, sed ut erogat, & subueniat in necessitatibus. Et ibidem: Ornatus sacrorum, redemptio captiuorum est. postea & hac subiungitur: In his tribus generibus. (videlicet, pauperibus sustentandis, captiuis redimendis, humanis fidelium reliquijs, & corporibus) vsa Ecclesia etiam mutata, infringere, conflare, vendere licet. Idem colligitur ex c. Sanctorum, cap. sicut. eadem causa, & quest. 3. Causa utilitatis, ut res melior habeatur. Vnde in cap. Sine exco. 12. q. 11. constituit Pontifex: Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de reb. Ecclesie sua quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi forte aliquid bonum faciat, ut meliora perficiat: In c. Terrulas, & c. Fugitiui, eadem causa & q. præcipitur, ut serui fugitiui, qui etiam si reuocati fuerint, teneri non possunt ab Episcopis, si voluerint, distrahantur. Quarta causa est incommoditatis, ut si res sit magis incommoda Ecclesie, quam comoda, vel utilis. In eod. cap. Terrulas aut vineas exiguas, & Ecclesia minus vtilis, aut longo positas paruas Episcopus sine consensu fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat potestatem. Sed nunquid alijs causis præter commemoratas, pollunt res Ecclesie alienari? Respondeo, causas cæteras ad hæc quatuor causarum genera reuocari. Vt si Ecclesie res aliqua alienetur ad censum redimendum, vel ad onus & seruitutem extinguendam, quando vtilius Ecclesia à censu & seruitute liberaretur.

Quarto queritur, Quamnam Iuris formula solemnis in rebus Ecclesie alienandis tenenda sit? Turrecremata vult seruandam esse eam formulam, quæ præscribitur in Authentice. Hoc ius, de sacrosan. Eccl. quoniam licet ea sit formula ab Iure civili tradita, est tamen Iuri Canonico inserta 10. q. 11. cap. Hoc ius. Constans tamen est Canonici iuris interpretum sententia, quæ ex Innocent. Glossa & Abbate colligitur, eam formulam non esse seruandam: cum non sit Iure Canonico constitutum vti ea seruetur, licet à Gratiano in suum decretum fuerit translata: neque enim is Canonico ius condere potuit. Vnde Felix. in c. 2. de Rescriptis. probat leges à Gratiano insertas in lib. Decretorum. minime approbati, ut tanquam Iura Canonica seruentur,

nisi per Auctorem ipsius Canonis comprobentur. Verba Felini ita se habent: *Prædicta Auth. Hoc ius licet inferatur à Gratiano in suo decreto, non tamen inferitur alicui Canonis per Auctorem eius, & ita non servatur ut ius Canonicum.* Hæc ille. Goffredus tradit, seuandum esse formulam: Alij vero, factis esse, si seruetur confuetudo illius Ecclesiæ, cuius de rebus alienand. agitur. Nobis vero magis placet, & probatur Hostiensis, Ioan. Andr. Panor. & aliorum sententia: id esse seruandum, quod traditur in c. *Sine exceptione*, 12. q. 11. sc. vt prius præcedat tractatus: hoc est, vt prius consultetur, siue tractetur, expediat nec ne alienatio. Secundo, vt interueniat consensus Collegij. Tertio, auctoritas superioris. Quarto, vt sit in ipsius Ecclesiæ utilitatem. Quinto, vt accedat subscriptio Clericorum. Nominè superioris intelligitur Episcopus, vel Archiepiscopus, siquidem ea res sit Ecclesiæ Cathedralis vel Metropolitanæ. Si vero sit Ecclesiæ collegialis, vel conuentualis, vel parochialis, sufficit consensus Abbatis, Prioris, vel Rectoris qui id potest, quando tales præfecti sunt ab Episc. potestate & iurisdictione exempti. Vnde in Ecclesijs ab Episc. exemptis factis est consensus illius superioris, cui proxime pleno iure Ecclesia subijcitur: vt est Abbas in Monasterijs & Ecclesijs sibi subiectis: vt sunt etiam Pæpositi provinciales in Ordinibus Mendicantium, quod atinet ad Collegia, conuentus & Ecclesias. Ita Cardinalis in cap. *Statutum*, de *Transact.* Sufficit itidem, vt vnus tantum præcedat tractatus. Nominè vero Collegij intelliguntur Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegialis, vel Clerici, si communiter in Ecclesia viuunt, hoc est, si Collegium faciant, cui vnus præsit. Præterea, *testis Panor. in c. 1. De his qua sunt à Pralato*, subscriptio Clericorum necessaria non est, nisi in casibus ipso iure expressis, quoniam sufficit consensus in quocumque contractu, nec scriptura requiritur, nisi vbi Lex vel Canon deposcit leg. *pañ. C. de Pæñ. Vnde Aretinus ait in cap. Sine exceptione* 12. q. 11. In alienatione rei Ecclesiastica subscriptio necessaria non est, nisi in tribus casibus, venditione, permutacione & donatione. Dubium est, de consensu Canonicorum vel Clericorum, an sit necessarius omnino: *Ex c. Hoc ius. & cap. Si quis Episcopus. c. Alienationes. c. Abbatibus. c. Sine except. 12. q. 11.* necessarius est: Sed pro varietate Ecclesiarum variaz sunt consuetudines introductæ. At cum res est parua, & necessitas veget, pot. episc. sua auctoritate alienare, *c. Terrulus. 12. q. 11.*

Quinto quaeritur, Quæ sint bona Ecclesiarum, quæ alienari nequeant, nisi ex causis iure permillis, & seruata ipsius iuris formula? Communis est omnium sententia in cap. *Nulli. de rebus Eccles. alienand.* bona esse immobilia: item alienari non possunt, quæ seruari commode queunt, & seruata fructum ferunt. *vt colligitur ex l. Lex. & l. Tutoris. 2. C. de Administ. tut. & cap. Tua. de his qua sunt à Pralatis.* At quæ sunt illa, quæ seruari possunt? *Ait Glo. in l. 1. C. si aduersus vsurus. ea esse, quæ triennio non pereunt, & adhuc seruata fructus edunt. Quare, quæ vsu consumuntur, talia non sunt, vt mel, frumentum, vinum & oleum, & ceteri similes fructus. De pecunia dubitant: quidem, An de numero sit earum rerum quæ seruari possunt. Panor. in c. Nulli. negat esse, quia retenta & seruata, fructum non parit. c. *Emens. dist. 88. & glo. in l. Cum plures. ff. de Administ. tut.* hoc tamen locum non habet in Ecclesiæ pecunia, quæ ad bona immobilia emenda destinata est: hæc enim pro re immobili habetur, ac proinde nequit alienari. Atq; hinc est, vt quidam merito dicant, quando statuto aliquo cauetur, vt mulier lucretur dimidiam partem bonorum viri sine liberis decedentis, lucrifaciat sibi dimidiam partem pecuniæ iam ante destinatæ ad res immobiles emendas, quoniam talis pecunia inter immobilia bona computatur. Bald. vero in l. *Celsus. §. vlt. ff. de leg. 2.* negat, talem etiam pecuniam in bonis immobilibus habendam, atq; hoc probat *ex l. in fundo. §. si fructus. ff. de iure dot.* quod quidem ego verius existimo, quoniam de re pœnali & odiosa tractatur, & quoties statuta aliquid contra ius commune decernitur: quoties vero de re quæ ad fauorem, gratiam, & pie-*

tatem pertinet, tunc talis pecunia inter immobilia bona computari potest. Huiusmodi est vltima testatoris voluntas, & fauor ecclesiæ. Pecunia vero ecclesiæ ad rem immobilem emendam destinata tunc est, cum superioris auctoritate, & Clericorum consensu ad id retinetur, & seruatur: vt si superior Collegij adhibito Clericorum consensu hanc autillam pecuniariam summam referuari decreuerit, vt ex ea res immobiles emanent.

Sexto quaeritur, An Iura, actiones, & nomina debitorum immobilia bona censentur? *Ait Panor. in c. in ceta. to. c. nulli.* proprie nec esse mobilia, nec immobilia bona: quia talium bonorum appellatio locum habet in his, quæ certo loco continentur: nam mobile dicitur, quod potest loco moueri: & Immobile, quod corpus cum sit, certo loco contentum, inde moueri non potest. *l. Monentium. ff. de verbor. & rer. signif.* Actiones vero & Iura, cum sint incorporalia, loco minime continentur. Vnde Iurif. consultus, actiones & nomina debitorum tanquam terram speciem ponit, in l. *A diuo Pio §. In venditione. ff. de senten. & re iudic.* Quare in testamentis, appellatione bonorum mobilium, vel immobilium, nomina debitorum non veniunt, eo quod in testamentis verba sunt proprie accipiendal. *Qui heredi. ff. de cond. & demonstrat.* Et propterea consilium dedit Oldrad. & se quoque dedit Panor. testatur, in testamento quo quidam Princeps bona sua mobilia in pios vsus distribuenda reliquerat, eorum bonorum vocabulo non contineri pœnas, Principi quidem debitas, sed nondum exactas & solutas.

Aliquando tamen necesse est (subijcto *Panormitan.*) vt actiones ad bona mobilia & immobilia reuocentur, quia vltima voluntas testatoris voluit comprehendere totum patrimonium, licet fecerit mentionem duntaxat de mobilibus & immobilibus bonis: tunc enim locum habet opinio Glossæ, Actiones ad res mobiles, inter mobilia bona haberi: actiones vero ad res immobiles, inter immobilia. Eadem ratio est de seruitutibus, & quocumq; alio iure incorporali, qualis est annuus census perpetuus. Vnde in *Clem. Exini. de verb. signif. & cumq; annui.* habetur: Census & redditus annui, inter bona immobilia computantur.

Ex quo perspicitur, An superior possit absq; iuris formula, & causis iure permillis remittere, vel vendere, vel permutare actionem, quam ad rem aliquam habet Ecclesia.

Septimo quaeritur, An bona mobilia Ecclesiæ, si pretiosa sint, alienari possint sine formula solenni iuris, & extra causas iure permillas? Respondeo non posse, *vt rite probat Panor. in c. Tua. de his qua sunt à Pralatis:* quia hoc colligitur *ex l. Lex quatuor. C. de Administ. tutorem, & ex Glossa in cap. Episcopus qui mancipium, 12. quasi. 11.* computantur enim inter immobilia bona. Quo fit, vt quemadmodum immobilia bona alienari nequeunt, nisi ex causis iure concessis, & seruata ipsius iuris formula: sic etiam pretiosa bona, quamuis mobilia alienari non possint: cuiusmodi sunt aurum, argentum, gemmæ, vestes, vasa, & alia similia pretiosa.

Octauo quaeritur, An alienatio rei Ecclesiasticæ sine formula iuris, & extra causas ipso iure concessas valeat? Duo in dubium vocantur: Primum est, An in iudicio valeat? de quo sunt duæ sententiæ: nam plerique arbitrantur, eam esse irritam, & inanem in iudicio, nam formula iuris dat esse rei. *vt colligitur ex c. Tua. de his, qua sunt à Pralatis.* Item extra causas iure permillas, nullius esse momenti alienationem, planum est *ex cap. Nulli. de Rebus Eccles. alienand.* nam alienatio rei iure prohibita, nisi in casu permisso, in iudicio non subsistit. *Non dubium. C. de legib. & cap. Ea qua. de Regul. Iuris in 6.* Alij volunt, ratam esse, etiam in iudicio, alienationem rei Ecclesiasticæ, prætermissa formula iuris, in casibus tamen iure permillis. *Sic Glossa. Sine exceptione. & in summa, 2. quasi. vi. & Archidiaconi ibidem,* dicens, alienationem quidem valere: sed si Ecclesiæ nocuerit, rescindendam, & in suum ius restituendam Ecclesiam. Prior opinio est magis recepta.

Secundum est, An in foro conscientiz sit rata & firma

hæc

hæc alienatio? Quidam negant. Sed communis habet sententia, eam valere, si reuera omni fraude & dolo vacauerit, hoc est, si in casu iure permisso, & auctoritate superioris, & eorum, quorum interest, consensu res alienetur, quamuis prætermissa formula iuris. Sic Butrius in *ca. Plerique, de Immuni. Ecclesia.* & Panormitanus *ibidem, & in cap. Requisit.* de *reintegr. restitut.* ubi generatim docet, omnem contractum in foro conscientiarum ratum esse & firmum, si in eo fuerit seruatum, quod ius naturale præscribit: hoc est, si consensus eorum, qui contrahere possunt, accesserit, & res alioqui alienari queat, quamuis non fuerit formula iuris seruata: Et pro hac sententia citat idem Panormitanus Innocentium in *ca. Quapropter, de elect.* dicentem: *Si electio iure naturali valet, qualis est ea, in qua adest consensus eorum, qui habent ius eligendi, & eligitur is, qui est alioqui aptus & idoneus, in foro conscientiarum est rata & firma, quamuis in iudicio sit irrita, eo quod in ea desideratur scripti iuris formula.* Nam ius, inquit Innocentius, scriptum solemnes formulas eligendi & contrahendi constituit, ut omnem dolum & fraudem submoueat: ac propterea electus sine dolo & fraude sese in foro conscientiarum beneficio, dignitate, officio abdicare non cogitur. Hinc etiam perspicitur, quid sit de eo iudicandum, ad quem res Ecclesiastica prædicto modo alienata peruenit, debeat illam in foro conscientiarum restituere. Nam si reuera per alienationem sine dolo & fraude factam eam acquisierit, retinere potest tuta conscientia, tamen si in alienatione fuerit scripti iuris formula prætermissa.

Nono quaeritur, An si superior qui iuravit se bona Ecclesie non alienaturum in consulto Romano Pontifice, rem aliquam Ecclesie alienet seruata quidem Iuris formula, & in casu ipso iure permisso, sed Papa in consulto, valeat talis alienatio? Duo hic quaeruntur. Primo, An talis superior licite rem Ecclesie alienet. Secundo, An si alienauerit, alienatio subsistat. Quod ad primum atinet, non est ignorandum, vsu Curie Romanæ esse receptum, ut Præsules Papæ auctoritate creati, confirmati, consecrati, iurent se iuramentum Ecclesiarum bona non alienaturum eo minime consulto: ut ait Glossa *c. ult. de Ecclesijs edificand.* *Et ca. Ut super, de rebus Eccles. alienand.* Imo etiam si dicti Præsules id iurasse minime probentur, iurasse nihilominus putantur, teste Nauarrus in *Commentario de alienation. rerum Ecclesiasticarum. n. 12.* Nam quæ fieri solent & debent, facta esse creduntur. *l. ult. de Fideiusso.* quod etiam locum habet in ijs, qui à Papa consecrationem non accipiunt: factus est si ab eo instituantur, aut confirmantur, ut dicam inferius.

Hoc posito primum, quod quaerebatur, est, An tale Præsulum iusiurandum, intelligatur solum de rebus Ecclesie non alienandis extra casus licitos, & sine formula Iuris, An vero etiam in causis alias licitis, & seruata quoque Iuris formula? Duæ sunt opiniones: Vna est assensentium solum intelligi de non alienandis rebus extra casus prædictos, & præter formulam Iuris id probat *ex libro primo, titul. 6. de Feudis*, ex quo patet, Præsulum Ecclesie, qui iuravit non se in feudum denuo daturum res Ecclesie in feudo Romano Pontifice, posse nihilominus rem prius feudo datam, & ad ipsam Ecclesiam deuolutam denuo dare. Deinde in *cap. ult. de Eccles. edificand.* habetur, posse Præsulem iureiurando nihil impediendo de rebus Ecclesie non alienandis, nouam Ecclesiam extruere, quæ iure alioqui est ædificanda ob populi frequentiam in noua Ecclesia indigentis: licet ob ipsum Ecclesia ipsi commissæ destitui, & detrimentum pati videretur. Et in *cap. Ut super, de rebus Eccles. alienand.* posse Præsulem commutare suæ Ecclesie possessiones minus viles pro vtilioribus Canoniorum consilio & assensu. Et Glossa in verbo *Assensu, ibidem recepta à Calderino in consil. 7. eodem titulo. Et à Federico Senensi consil. 210.* sentire videtur, eum qui iuravit non se alienaturum res Ecclesie, posse nihilominus res inutiles alienare.

Alter sententia est affirmantium, talem esse periculum

Præsulem res suæ Ecclesie alienantem, etiam in causis quas Iura concedunt, & seruata Iuris formula, sine Pontificio tamen consensu. Atque ita ratiocinantur: Primum quia tale iusiurandum aliquid operatur: nam si tantum ad licitas alienationes traheretur, nihil operaretur, siquidem, nullo etiam interueniente iureiurando, prohiberetur alienare.

Deinde iusiurandum, quo Antistes siue Præfectus Ecclesie promittit, se simpliciter non alienaturum Papa in consulto, licitum est, ergo id seruare debet. Nam omne iusiurandum, quod licite seruari potest, est implendum, *cap. Si vero, de iureiurando. Et cap. Quamuis, de pactis in 6.* præterea multa, quæ vtiliter ac licite fieri possent, prohiberentur tamen, ut res cautius fiat. *cap. aduersus, de immunitat. Ecclesia.* non secus ac Clerici licite aliquid in commune conferre etiam ad necessitates Laicorum subleuandas, quod tamen citra Pontificum assensum non licite facerent; ob id scilicet, ut cautius fiat. sic Ioannes Andreas *c. ultim. de Eccles. edificand. post Hostiensium c. 1. De ijs que sunt à prelatiis*, ac etiam Abbas in *cap. ult. de Eccles. edificand. num. 7.* ubi dicit, hanc sententiam esse communi consensu receptam. Horum sententiam probabilior existimo: nam in Constitutione Pauli II. *qua incipit Ambitiosa*, inter *extravagantes communes de rebus Eccles. alienand.* præceps constituitur in eos, qui alienauerint extra causas à Iure probatas, vel sine Romani Pontificis consensu: ubi particula disiunctiua ponitur, quæ ut vera sit, solum requirit alterius partis veritatem, *lege plerumq. ff. De Iure Dotum, Et ca. in alternatiuis, de Reg. Iur. in 6.*

Quod ad secundum atinet, An scilicet si superior alienauerit, rata & firma sit alienatio? In qua re sunt duæ opiniones, vna affirmantium illam valere in casibus iure permittis, & seruata quoque formula Iuris, vltro etiam sine Pontificis consensu. Sic Iason in *l. En lege, nu. 23. ff. de verbor. oblig. ubi allegat Innocentium*, & alios communi consensu docentes, quando aliquid sit contra iusiurandum interpositum, periculum quidem admitti, sed factum valere, *ut colligitur ex cap. Sicus ex litteris, Et cap. De illis, de sponsalib. Et cap. 1. De sponsa duorum.* Item testamentum secundum subsistit factum ab eo qui iuravit, se non reuocaturum primum. *Barol. in l. Si quis, in principio. ff. de lega. 3.* Si quis etiam Procuratorem reuocauerit, tamen contra iusiurandum, quo promisit se illum non reuocaturum, valet reuocatio, quamuis ille peritius sit: *in c. ult. de Procuratorib. in 6.* Ad hæc, qui iureiurando promiserit se rem aliquam venditurum, aut locaturum donaturumve Titio, & nihilominus vendiderit, vel locauerit, donaueritve Caio, valet venditio, locatio, vel donatio, si factio sit ea res ad Caium translata, & Titio nondum tradita, *Imol. in ca. Cum contingat, de iureiur.*

Hac in re, utendum nobis distinctione est. Aut enim loquimur secundum Iura antiqua ante dictam Pauli II. Constitutionem: At tunc cum quaeritur, An valeat alienatio in iudicio, sunt duæ opiniones, ut dictum est, quarum ea quæ negat valere, probabilior est, quoniam inter alia quæ ad formulam in alienatione seruandam Iura postulant, vnum id est, ut res alienetur consulto Pontifice: at in foro conscientiarum, ut etiam superiori quaestione indicauimus, valet alienatio, quod Ius naturale præscribit impleto. Aut loquimur secundum Ius nouum editum à Paulo II. in ea constitutione, *scilicet Ambitiosa, præfata*; & tunc planum est nullius esse momenti alienationem, cum in ea Constitutione dicatur: *Si quis autem contra huius nostre prohibitionis seriem de bonis & rebus eiusdem quicquam donare presumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infensatio nullius omnino sit roboris, vel momenti.* Ita Constitutio. Quærat aliquis, An etiam in foro interiori sit irrita alienatio, cum quis alienat in causis iure permittis in consulto Pontifice, cuius alioqui consilium, & consensus erant requirenda, putans bona fide posse alienare? Respondet Nauarrus, *Commentario citato, num. 17. cuius ipse probat sententiam*, alienationem non esse irritam: quia ut

dixi, quando contractus solummodo caret iuris scripti formula, dummodo contineat, quod ius naturale postulat seruandum, valet in foro conscientie. Si quis etiam querat, An quando Præsul expressim iurauit se non alienaturum sine Pontificis assensu, & tamen alienat bona fide, sui videlicet iurifurandi oblitus, subsistat alienatio in foro conscientie interno? Subsistit, quia in ea seruatum est ius naturale, quamuis non ius scriptum: & præsul, qui sic alienat, & à peritior, & à pœnis in Constitutione superius nominata, interrogatis, liber est. A peritior quidem culpa, quia prolixus immemor iurifurandi alienauit: à pœnis vero, quia in Constitutione dicitur: *Si quis autem quicquam alienare presumpserit*: at is non creditur quicquam ex præsumptione fecisse, qui per ignorantiam, vel opinionem probabilem & iustam aliquid facit.

Decimo quartus, An qui alienat domum, bona fide tamen pensionem in perpetuum soluenda, quanta percipi solet quotannis ex eius locatione, peccet prætermittens in ea locatione formulam Iuris Ait Nauarrus *Commentario allato* n. 18. & recte quidem, eum minime peccare, quia solum scripti iuris formulam omittit iure naturali seruato: nam quod atinet ad causas, quas Iura concedunt, illarum vna, hæc in tali alienatione reperitur: vt si conditio & res Ecclesie facta est melior: cum libera sit Ecclesia à cura & difficultate rescindi & minuendi domum, *ut notatur in l. 1. c. 2. de peric. & commodo rei venditæ, & docet Las. in l. 1. n. 13. §. seq. C. de lue emphiteut.*

Vndecimo queritur, An superior possit cedere iure exceptionis Ecclesie conuenienti, aut transigere cum eudenti damno ipsius Ecclesie; Respondeo, cum Panor. in c. primo, de Deposito, minime, quia ius excipiendi quod habet Ecclesia, est aliquod ius, ergo non potest superior eo iure cedere: nam eo ipso quod cedit, alienat ius ad rem: Er hoc locum habet, quando est ius excipiendi in re immobili, aut quæ pro immobili habetur, de qua litigatur. Item Transactio non est nisi de re litigiosa, dubia & incerta: ergo superior transigere nequit, nisi gratia maioris utilitatis: nam qui transigit, lite cedit & causa.

Duodecimo queritur, An superior possit repudiare rem immobilem Ecclesie legatam: Ratio dubitandi est, quia dominium rei legatæ Ecclesie acquiritur, etiam ignoranti. *Cum pater, §. Sordo, ff. de Legatis 2.* Item in simili pupillus non potest repudiare fundum sibi legatum, cum rem suam alienare nequeat. *l. Magis, §. Fundum, ff. de rebus commissis.* Panor. in c. Tua, de ijs que sunt à Prelat. ait hæc questionem esse dubiam. Federicus Senensis *consil. 8.* credit fas esse superiori repudiare, quia non est idem, lucra non capere, quod quaesita perdere: non est idem, non acquirere, quod, acquisita relinquere. *l. Si sponsus, §. Si maritus, ff. de donation. inter virum & uxorem.* Et dominium rei legatæ non acquiritur Ecclesie, donec ipsa consentiat, & ratum habeat. Paulus Castr. in *consil. 11.* negat posse superiorem repudiare legatum, posse tamen donationem. Ratio, inquit, vtriusque est, quia res donata non acquiritur donatario ignoranti, sed volenti: at vero res legata acquiritur ignoranti legatum, quamuis cum rescierit, possit repudiare. Ac proinde in legato sufficit solum testatoris factum: *ut colligitur ex l. Magis, & l. Cum pater, supr. cit.* Angelus, & Auctor Rosellæ hoc quoque refutant, eo quod res donata ecclesie sub modo, statim sit ipsius Ecclesie: nec reuocatur non seruato modo, nisi hoc in contractu fuerit expressum: ergo tam in re donata, quam legata, dominium statim acquiritur ecclesie ignoranti. Et hæc est probabilior opinio.

Decimotertio queritur, An præsul qui iurauit non se alienaturum res Ecclesie in consilio Pontifice, possit nihilominus alienare res modicas? Respondeo, cum Ab. in c. vi. de Eccl. adst. n. 9. posse: idque probat ille ex c. Terrulas 12. q. 11. vbi episcopo facultas conceditur alienandi res minimas etiam sine consensu & consilio fratrum. Non enim iurandum tam arcte & anguste interpretari debemus, vt ad res etiam minimas trahatur.

Decimo quarto queritur, An Legatus à Latere, facultatem concedere queat alienandi contra iurandum? Negat Panor. *ibi. n. 10. locutus Speculatorem*, posse: nihil enim iuris & potestatis habet in his, quæ Romanus Pontifex sibi vni reseruauit: *ut deducitur ex c. Quod translationem, de officio Legati.* hoc autem solummodo locum habet in eo qui iurauit non se alienaturum citra Romani Pontificis consensum: non in eo, qui iurauit non se alienaturum citra consensum alicuius ipso Papa inferioris Antistitis: Nam cum Legatus à Latere in prouincia sibi demandata ordinariam habeat potestatem, potest id concedere, si quidem iurandum non est Præsuli factum tanquam priuatæ personæ, sed vt publico officio ratione dignitatis fungenti.

Decimo quinto queritur, An tempore tantæ necessitatis, vt Romani Pontificis haberi nequeat consensus, possit Episcopus alienare, tamen si iurauit se non alienaturum, nisi eo consentiente? Potest alienare: Sic enim tradit Panor. *ibi. n. 8.* probans argumento *sumpto ex l. Tutor, in Repertorio. ff. De administrat. & pericu. tutorum.* Vbi habetur, causa necessitatis potest tutorem inuentario minime confecto administrare pupilli bona. Pari ratione, inquit, possent alienari bona Ecclesie, formula Iuris minime seruata, si tanta necessitas vrgeat, quæ temporis moram non patiat.

Decimo sexto queritur, An qui iurauit non se alienaturum res Ecclesie, vel non daturum pignori, nihilominus possit fructus prædiorum, vel possessionum vendere, vel locare ad decem, vel viginti annos? Glossa cum alijs in *leg. pen. §. Instituto, de lega. 2. iuxta Panor. in ca. prædicto*, censet eum, qui prohibetur rem alienare, tuto posse locare fructus eius etiam in centum annos. Cuius opinionem rejicit Glossa communi consensu recepta in *Clem. 1. de rebus Ecclesie non alien.* Panor. *ibi.* respondet hunc in modum: Qui vendere prohibetur, potest pignori dare. Item qui prohibetur, emere in certo loco, potest nihilominus pignus accipere. Qui vero prohibetur rem alienare, potest ad modicum tempus fructus locare, non tamen ad longum, *ut habetur in Clem. 1. de rebus Ecclesie non alienan.* Profecto si, remoto iure Canonico de rebus ecclesiasticis non alienandis, loquamur de alijs rebus non eo ipso quo quis rem immobilem alienare prohibetur, illius fructus ad breue, vel longum tempus locare prohibetur: quoniam locatione rei domini ad conductorem non transit & alienatio proprie sumpta est actus quo transferitur domini rei.

Decimo septimo queritur, An iurandum simpliciter adhibitum, de rebus Ecclesie non alienandis, ad alienationes illicitas tantummodo trahatur? Respondeo, cum Panor. in dicto ca. *ut. de Ecclesie adifican. n. 3.* ad eas tantummodo iurandum esse trahendum. Vnde Superior, qui hac ratione iurauit, poterit nihilominus alienare necessitatis causa, & utilitatis, vt iura ipsa concedunt, eo quod iurandum in materia iuris interpositum, restringitur ad ipsius iuris terminos: nam pari ratione Episcopus, qui iurauit se in Ecclesia sua perpetuo commoraturum, potest nihilominus abesse, si id Ecclesie necessitas, vel utilitas postulat.

CAP. II.

De eadem re alia questionibus solvuntur.

A Nimaduertendum est, Paulum II. edidisse Constitutionem, qua habetur inter Extraneos communes, de reb. Ecclesie non alienand. vbi primum prohibet res ecclesiarum alienari, & deinde tam in eos, qui alienata bona recipiunt, quam in eos, qui alienant, pœnas constituit. Constitutio sic habet: *Ambitiosa cupiditati illorum precipue qui diuinis & humanis affectati, damnatione postposita: immobilia, & pretiosa mobilia Deo dicata, ex quib. ecclesia Monasteria, & pia loca reguntur, illustrantur, & eorum ministri sibi*

alimoniam vendicant, profanis vrbis applicare, aut cum maximo illorum, ac diuini cultus detrimento, exquisitis medijs usurpare praesument, occurrere cupientes; omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominii transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, necnon insuaditionem, vel contractum emphyteuticum, praterquam in casibus à Iure permixtis, ac de rebus & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis. Et tunc in Ecclesiis eundem utilitatem, & de fructibus & bonis, que seruando seruari non possunt, pro instanti temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutione praesenti fieri prohibemus. Si quis autem contra haec nostra Constitutionis seriem, de bonis & rebus eisdem quicquam attentare praesumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conuictio, & insuadatio huiusmodi nullius omnino sint roboris, vel momenti: Et tam qui alienat, quam qui alienatus res, & bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero bona ecclesiarum, Monasteriorum, locorum, & praeiorum quorumlibet inconsulto Rom. Pontifice, aut contra praesentis Constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali praesentat dignitate, ingressus Ecclesia sit panitus interdictus: Et si per sex menses immediate sequentes sub interdicto huiusmodi, aut mox (quod absit) perseverauerit indurato lapsis mensibus, eisdem, à regimine & administratione sua Ecclesiae, vel Monasterij cui praesidet, in spiritualibus, & temporalibus. sit eo ipso suspensus: inferioris vero Praelati, Commendatarij, & aliarum ecclesiarum Rectores, beneficii, vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Praelaturis, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officijs, Canonicatibus, Praebendis aliisque Ecclesiasticis cum cura, & sine cura, secularibus, & Regularibus beneficijs, quorum res & bona alienorum duntaxat, ipso facto priuati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censentur, possintque, per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quae praeterea priuati fuerint:) libere de iure conferri, nisi alias dispositioni Apostolicae sedis sint specialiter aut generaliter reseruat. Et nihilominus alienata res, & bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad qua ante alienationem huiusmodi pertinebant, libere reuertantur. Haec tenor Constitutionis.

Quod adinet ad declarationem, multa circa eam queri possunt. Primum est, An sit haec Constitutio vsu recepta? Caietanus in summa, verbo, Excommunicatio, cap. 75, ad finem, ait: Nota secundo quod quia haec Decretalis non est recepta vbiq; & alicubi videtur recepta, non totaliter, sed quoad aliquod idem vbi non est recepta, & similiter quantum ad illud, in quo alicubi non est recepta, neminem damnes, eo quod nisi consensu ventium lex fuerit firmata, pro lege non habetur. Est ergo casus Confessor, vt scias consuetudinem patriae, quo ad hoc: scias autem illam à Curia Episcopali: Sic ille. Idem prorsus vocat Auctor Armilla verbo, Excommunicatio. In Ordine excommunicationum, excommuni. 62. item Syluester, excommunication. 7. in excommunication. 47. num. 83. docet alicubi locorum non esse approbatam moribus ventium, nec seruari. Rochus Curtius c. vlt. de consuetud. testatur, hanc Constitutionem esse consuetudine abrogatam, & Nauarrus in Manuali ca. 27. num. 149. addit, nullibi esse omnino receptam, quia in nullo loco est vsu recepta priuatio beneficiorum, quoad attinet ad inferiores Episcopo Praelatos. & in Lusitania, inquit, non videtur recepta quantum ad locationes ad tres annos, quia passim videmus fieri locationem ad quatuor annos. Sic ille.

Secundo quaeritur, An possessio Ecclesiae, quae iustum fructum reddere quotannis non solet, possit ultra triennium locari, etiam vbi fuerit praedicta Constitutio in vsu? Nauarrus in Commentario de Alienatione rerum Ecclesiasticarum, nu. 21. & 22. locari posse affirmat, non solum ad quatuor, vel sex, sed etiam ad nouem annos, quandoecunque possessio talis est, vt iustos fructus ferre non soleat, nisi tertio quoque anno, & ea quae fructus non reddit, nisi secundo quoque anno, potest locari ad sex annos. Eadem ratione praedictam Constitutionem interpretatur Couarruias lib. 11. Variae resolutionum ca. 36. num. 16. Andream, & Bar-

batium securus, & merito: quoniam testibus Baldo & Alexander, si emphyteuta pensionem non soluat per triennium, rem emphyteuticam non amittit, si ex re illa vnicus tantum fructus secundo quoque anno colligi solet. Bald. in l. Adem. C. Locat. Alexander in l. Disortio. §. 1. ff. solu. matrim. & ibi quoz, iof. & in l. 2. C. De iure emphyteutico. Nam in dicta Constitutione vult Pont. vt conductores possint ternos fructus percipere, & proinde sterilitatem, si qua in primo anno contingeret veritate fructuum in alijs annis prouenientium compensare: alioqui enim nulli, aut certe pauci reperiretur conductores. Quod si possessio singulis quibusque annis solita est iustos ferre fructus: tunc vbi illa Constitutio in vsu venerit, locari ultra triennium nequit. Si roges: eademem conductori res Ecclesiae locari potest prima locatione finita? Potest: quia hoc minime eadem Constitutio vetat.

Tertio quaeritur, An locatio fieri queat ad sex vel nouem annos, cum hac clausula: Vt tot sint locationes, quot triennia, & si nullo primo triennio, tunc non facta locatio censetur? Duae sunt opiniones, vna asserentium, etiam cum leges & iura prohibent rem locari ultra triennium, eam locationem licite fieri posse, & valere primo, secundo, & tertio triennio. Huius fuit sententiae Baldus, eam inde comprobans teste Couarruias lib. 11. Variarum resolutionum, c. 16. nu. 4. quia etiam locatio ab initio fiat ad plures annos vere tamen distinctis locationibus. per tempore à Iure permixta sit: Altera sententia est, id fieri non posse: est communis opinio contra Baldum: quam sequuntur Cynus, Albericus, Cardinalis, Lupus, An. haranus, Alexander, & Iaf. producti à Couarruias, ibidem: atque haec quoque opinio maiorem habet probabilitatem: nam ex Authen. De non alienando, §. Quod autem dicitur est, veris. Nec illud, Collat. 2. colligitur: Si res que alienari, vel locari ad longum tempus prohibetur, locetur ad nouem annos, cum pacto de non reuocando ad alios nouem annos Iure permixtos, finita prima locatione, talis fraus legis non probatur, nec ea locatio valet ultra tempus à Iure concessum. Dubium est, An Titio conductor possit res locari ad triennium, sed cum pacto, vt triennio illo & locatione finita eidem postea ad aliud triennium locetur? Respondeo, huiusmodi locationem dupliciter posse contingere. Aut enim ab initio sit vnus contractus, & vna scriptura publica, in qua pactum quod dixi, apponitur, & tunc contractus nihil valet, quia sit fraus legi: nam perinde est, ac si locatio non ad triennium fieret: & idem est, si duo fiant contractus duabus scripturis publice confectis, & parum, aut nihil refert vno, an duobus contractibus locatio fiat, cum vtroque modo locatio à principio ultra tres annos reuera fiat, aut locatio fit tantum ad triennium, & de ea locatione scriptura publica conficitur, absque villo pacto de locatione secunda ad alterum triennium faciendam finita prima: licet is, qui rem locat, priuatim promittat se eidem Titio, finito priori triennio ad alterum triennium rem eandem locaturum: quia cum de hoc scriptura publica confecta non sit, non censetur locatio ultra triennium facta, sed promissio locationis iteranda. Non enim Constitutio illa prohibere videtur, quo minus Beneficiarius rem Ecclesiae ad triennium tantummodo locatam possit promittere alteri, vel eidem conductori, se eandem rem locaturum, quoniam vt futuri matrimonij promissio, matrimonium non est: ita nec promissio locationis futuri, locatio est.

Quarto quaeritur, An licet in praedicta Constitutione locatio ultra triennium damnetur: si tamen facta sit ad plures annos, rata & firma habeatur ex ea parte, quae triennium continet, ita vt non sit ex toto irrita, sed ex parte, qua triennium excedit? Duae etiam sunt opiniones: Prima aientium eam valere ex parte, nimirum ad triennium: ea sententia placuit Baldo, Paulo, Imola, Alexandro: quam opinionem communem appellant Iason, Decius, Tiracuellus: quos omnes auctores profert Couarruias locis superius allatis num. 5. Secunda est opinio dicentium, loca-

tionem eam irritam esse ex toto, ita ut non valeat etiam ad primum triennium, quod est iure permittum: sic Bartolus, Iason, Socinus, Rom. & alij apud Covarruiam lib. ab eod. probati auctores: sed his obstat illa Reg. Iu. In his, quæ separari possunt, utile per inutile non vitatur. Attamen ea hic minime locum habet, quia sit vnica tantum locatio, & cum lex eam ultra triennium fieri prohibeat: sequitur vt ad plures annos facta, ex toto irrita.

Quinto quaeritur, An vbi eadem Constitutio est in vsu, non solum locatio ultra triennium irrita sit, sed etiam mandatum alteri datum ad rem Ecclesie locandam ultra triennium? Ait Covarruias *practico lib. 6. c. 6.* Mandatum quoque irritum esse? vnde sit, vt triennio exacto, mandatarius siue procurator nequeat absque noua commissione ad alterum triennium locare. Quid vero, si mandatum expressim Titio datur ad rem locandam bis, ter, & sepius? Ait idem Covarruias, atque ego pariter, mandatum elapso primo triennio finiri, & extingui: secus fieret fraus legiti: nam eo ipso, quod Titius mandato Beneficij vel Administratoris hanc haberet facultatem, iudicaretur facultatem habere ad rem Ecclesie ultra triennium locandam.

Sexto quaeritur, An Beneficij siue Regulares, siue seculares, qui domos aliquas, vel prædia, bona fide locare solent ad vitam, vel ad certas aliquas generationes, vel in perpetuum, sed in eiusdem necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiarum inconsulto Rom. Pontifice, incurrant penas prædicta illa Pauli II. Constitutione irrogatas? Negat Nauarrus in *Commentario supra dict. n. 6. & 17.* ob illa Constitutionis verba: *Qui aliter facere presumpserit.* At qui bona fide citra ausum omnem, ac per ignorantiam facit, non videtur ex præsumptione facere. Quid, si mala fide locauerint? Tunc, vbi eadem Constitutio seruatur, tam quod attinet ad locationem, quam quod ad penas, peccare, & penas contrahere: penas tamen, si vsu receptæ non sint, minime contrahuntur: quamuis peccent Beneficij, ultra triennium locantes.

Septimo quaeritur, An vbi eadem est Constitutio vsu receptæ, liceat Beneficij fructus annuos quos ex suis Beneficij percipiunt, ultra triennium locare? Nonnulli, quos sequitur Covarruias quo dicitur in loco n. 6. sciunt, solum in Constitutione præcipi, ne Beneficij fundos, vel alias possessiones siue res, quæ pertinent ad Ecclesias, in quibus habent beneficia, ultra triennium locent: non tamen prohiberi, quo minus fructus, quos ex Beneficij acquirunt, locent ad longum tempus: tunc enim non locant res Ecclesie, vel res, in quibus beneficia consistunt, sed locant futuros suorum beneficiorum fructus. Et Panormitanus annotauit, *istis eodem Covarruias*, licere Ecclesie Rectori, & Prælo fructus sibi ratione officij, dignitatis, & beneficij conuenientes, ad totum vitæ suæ tempus locare, etiam si in *Clem. 1. de Reb. Eccl. non alie.* statutum sit, vt res ecclesiarum solum ad breue tempus locari queant: quia aliud est beneficium res ecclesie locare, aliud vero fructus, quos acquirit ex beneficio, quod habet. Vera est hæc sententia, si secundum ius commune loquamur: Caterum puto consuetudine esse receptum, ne Beneficij Clericus locet sui beneficij fructus ultra triennium: quæ seruanda est, vbi fuerit recepta.

Octauo quaeritur, Quare ratione accipitur vtilitas ob quæ rei Ecclesiasticæ alienatio licita sit? Quidam respondent, pretium rei venditæ dicentes esse in bonum Ecclesie vendendum: ac ideo vtilitatem accipiunt eam, quæ est perpetua, & euidentis: vt cum aliquid ædificatur, vel cum res aliena immobilis, aut quæ pro tali habetur, acquiritur vel cum res alienum aliqui notabile soluitur, Cardinalis tamen in Clementina prima, De rebus Ecclesie non alienandis, arbitratu necessarium non esse, vt rei venditæ pretium in rem conuertatur perpetuo duraturam: satis esse, si inde Ecclesia percipiat redditum maiorem, vel certe parem, aut minorem, sed commodiorem: quod insinuat Glo. in c. Ea enim, §. Hoc ius, in verbo Probat 10. q. 1.

Az. Infr. Moral. Pars 2.

Nono quaeritur, An liceat Rectori Ecclesie alienare ex causis iure permittis rem donatam Ecclesie ea conditione, ne alienare possit? Ratio dubitandi est, quod in *Auth. de Alie. & emphyteusi, Collat. 2. §. Sanctissimi*, ait Imperator, res Ecclesie alienare posse pro captiuis redimendis: nisi eo pacto donata fuerint, ne alienari queant. Sunt qui existiment tunc alienari posse, cum Ecclesia alia bona non habeat quibus possit necessitati, vel vtilitati, vel pietati consulere: secus vero, si habeat. Alij tamen probabilius opinantur, eo pacto nihil obstante, licere Ecclesie rem alienare in causis iure concessis, quia ea conditio adiecta tanquam turpis, pro non adiecta habenda est. Sic Goffredus, Hosti. Inno. & Panorm. quos cit. Silu. in verbo *Alium quest. 28.* Archidiaconus, eodem auctore scriptum reliquit: Si monasterio donarentur possessiones ea audita pœna, vt si alienet, eas amittat: cum tamen Monasterium, vel ex Regula, vel ex Constitutionibus suis possessiones habere non possit: pœna conditio apposita pro non adiecta habenda est, quia turpitudinem continet: quamuis locum habeat eiusmodi conditio, quando Monasterium alienauerit extra causas iure permittas, hæc enim ratione testatoris donum, & voluntatem conuenit interpretari, videlicet ne extra causas legitimas fiat alienatio.

Decimo quaeritur, Verum Canonicus alicuius Ecclesie, cui in certis causis commissa est alienandi facultas, possit alienando transferre in suos consanguineos, vel propinquos? Testis est Panorm. in c. *Vt super, de reb. eccl. si alie. vel non alie.* pleiosq; Civilis iuris interpretes censere, in vniuersum licere Administratori rerum Ecclesiasticarum alienando transferre in suos propinquos, quod probant ex *Auth. Quibuscumq; modis. C. De sacrosanctis Ecclesie.* Sed Panormitanus sentit id tantum locum habere in Oeconomis, & alijs similib. administrationib. non item in Præpositis, siue Prælati. Silvester in *prænotato loco quest. 22.* tuta credit conscientia posse id etiam Oeconomum facere: ex causa iusta & debita, & citra vllum Ecclesie detrimentum.

Vndecimo quaeritur, Vtrum mortuo Episcopo, Collegium Canonicorum possit alienare Ecclesiarum bona? Respondet Panormitanus in c. 1. *De sede vacante*, & meo iudicio recte: Aut sunt bona quæ seruando seruari non possunt, & hæc potest Collegium absq; vlllo Rom. Pontificis consensu: nam eadem ratione potest tutor pupilli bona absque eius consensu alienare. *Lex qua iutores, C. de administratione tutor. C. l. Tutor, qui reprobiorum ff. eod. tit.* Aut sunt bona, quæ seruando seruari possunt, & hæc si ad Ecclesiam Cathedrali pertineant, citra summi Pontificis assensum alienare non potest: vt colligitur ex *cap. primo de Reb. Ecclesie non alien.* Si vero ad inferiorem ecclesiam spectent, alienare potest, duob. seruatis: Vt id scilicet in magna, & grati duntaxat Ecclesie necessitate faciat: Deinde si Ecclesia diu vacatura credatur, quod nimirum euenit, quando in hisce duab. causis ecclesie Curator, vel Administrator dari consueuerit. *ca. primo, de Rebus Ecclesie non alien.*

CAP. III.

De Ecclesiis ædificandis.

Ecclesia in iure Canonico, & ciuili dupliciter accipi solet: vno modo pro æde sacra, in qua res diuina sit, & sacramenta administrantur: Sic enim placuit etiam Imperatoribus Ecclesiam accipere, vt patet ex tit. in *C. de sacrosanctis Ecclesie.* Altero modo pro multitudine credentium in Christum. De Ecclesia secundo modo sumpta, tractauit *superius li. 5.* Nunc agam de Ecclesia primo modo accepta.

Primo quaeritur, Quid in iure canonico nomine ecclesie intelligatur? Intelligitur locus publicus Episcopi auctoritate fundatus, in quem Christiani conueniunt ad rem diuinam audiendam, & sacramenta suscipienda. Vn-

de tria requiruntur, ut ædes aliqua sit Ecclesia. Primum, ut Episcopi auctoritate fundatur: alioqui enim locus religiosus, & sacer esse non potest. Alterum, ut fundata sit, ad rem diuinam faciendam, & Sacramenta conferenda. Tertium, ut sit consecrata: alioqui non Ecclesia, sed Basilica dici potest: id est, Domus regia, *Glossa capit. primo. De Religiosis domibus, Panormitan. in Rubrica, de Consecratione ecclesia, vel altaris, vel dici potest Oratorium, quod auctoritate priuata potest extrui: capitulo Vniuersique, de Consecratione, distinctione prima*, sed in eo, sine auctoritate Episcoporum res diuina fieri non potest: alioqui enim Clericus diuina celebrans, ab officio deicitur, *cap. Vniuersique, & capitulo, Nullus Presbyter, de Consecratione, distinctio. 1.* Ex quo fit, ut statuto quo pena irrogatur committentibus delictum in Ecclesia, non comprehendantur, qui delictum admitterint in æde citra Episcopi auctoritatem fundata. *Glossa, & Panormitanus in capitulo de. de Consecratione Ecclesia vel Altaris.*

Item in ijs quæ sunt odiosa, & pœnalia, nomine Ecclesie non continetur hospitalis domus, nisi Episcopi auctoritate sit fundata: *Gemin. post Lapum, c. Cupientes §. 1. de el. et. infest. Selu. de beneficiis par. 1. q. 6. n. 19.*

Secundo quaeritur, Cuius auctoritate fundari Ecclesia possit? Respondeo distinguendo: in loco, qui exemplis non est, nequit fundari absque Episcopi auctoritate, *capit. Nemo 1. de Consecratione, distinctione prima Authent. de Ecclesiasticis titulis, §. Si quis autem.* Si locus vero exemplis sit, nemo potest Ecclesiam fundare sine consensu Rom. Pontificis, *c. Auctoritate, de Priuil. infestio.* Et sic intelligitur id quod habetur in *c. Doctorum, & capit. Præcepta, de Consec. dist. 1.*

Tertio quaeritur, An quis possit Ecclesiam extruere in solo alieno? Respondeo, cum Raynerio, & Hosti. quos citat Syluester in verbo Ecclesia 2. quæst. 3. iure non posse: at si soli dominus Laicus sit, & ipso sciente, & non contradicente quis Ecclesiam fundauerit, ipsa Ecclesia libera omnino manebit, hoc est, non acquiritur ei ius patronatus in ea: *argumento sumpto ex cap. Si seruus, distinctio. 54.* Sibi imputet, quod sciens non contradixerit. Si autem eo infuso Ecclesia fundatur, erit quidem ipsa Ecclesia libera, sed is qui extruit, cogitur ad seruandam indemnem dominum soli, immo ipsæ etiam Episcopi si ponendo primarium lapidem, vel etiam postea consecrando Ecclesiam negligens fuerit in veritate indaganda, debet quoque refarcire damnum illatum domino soli, *argumento ex c. Nemo, de Consec. dist. prima, & c. Comperimus 14. qu. 3.* Si autem solum fuerit alienus ecclesie, vel Collegij Ecclesiastici: tunc Ecclesia, quæ fundata est, & constructa, manet illi subiecta, hoc est, acquiritur illi ius patronatus, *c. quæst. sunt. 16. q. 4. & ca. Apostolica, 8. q. 1.*

Quarto quaeritur, Quis debet primarium lapidem in fundatione ecclesie ponere? Glossa communi consensu approbata ait, in capitulo, *Nemo, de Consecratione, distinctione prima, & capitulo, Placuit prima quæstione secunda.* Episcopi est primarium lapidem ponere in capitulo, *Nemo, de Consecratione, distinctione prima*, sic habetur: *Nemo Ecclesiam adificet, antequam Episcopus eius iuris veniat, & ibidem Crucem figat, publice atrium designet.* Et in Authentica, *de Ecclesiasticis titulis §. Si quis autem, Collatio nona*, dicitur: *Si quis autem voluerit fabricare venerabile Oratorium aut Monasterium præcipimus non aliter inchoandam fabricam, nisi locorum sanctissimus Episcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit Crucem.* Et Authentica, *de Monachis, versiculo*, illud igitur, *Collatione prima* legimus: *Illud igitur, aucto aucto dicendum est, ut omni tempore, & in omni terra si quis adificare voluerit venerabile Monasterium, non prius licentiam esse hoc agendi, quam Deo amabilem locorum Episcopum aduocet, & ille manu extendat ad eum, & per orationem locum consecret Deo signum in eo salutis nostre signum, videlicet Crucem.* Idem profertur in *Auth. ut nullus fabricet Oratorij domos, versiculo, Sancimus, collatio quinta*, & quamuis in his locis mentio expressa non fiat de primario lapide

ponendo ab Episcopo: communiter tamen Doctores interpretantur huiusmodi Constitutiones eo sensu, ut necesse sit episcopum primarium lapidem in fundatione ecclesie ponere, quia dicitur: *Ut nemo incipiat ecclesiam extruere, nisi prius Episcopus in eo loco precibus Deum inuocet, & Crucem figat.*

Quæres, An Episcopus possit per alium primarium lapidem ponere, & Crucem figere? *Glossa in c. Nemo, de Consec. dist. 1. verb. Veniat.* videtur significare id posse facere, episcopum per se, vel per alium: *ita enim Selu. de beneficiis, par. 1. q. 6. nu. 9.*

Quinto quaeritur, An necesse sit, ut episcopi consensus accedat principio, cum ecclesia incipit fundari, vel extrui, An vero satis sit, adesse huiusmodi consensum, postquam est ecclesia constructa, vel cum consecratur? De hac quæstione, *Selu. in tract. de beneficiis 1. quæstione. 6. numer. 8.* ubi dicit Abba. sensibile requirit, ut episcopus principio consentiat. Respondeo tamen sufficere, si episcopus consentiat, post constructam ecclesiam: id probat *Selu. auctoritate Zabarella, Cardinalis, Rochi, Curtij, & aliorum.* Vnde Archidiaconus in *c. Nemo, de Consecra. dist. 1. ait: Si quis adificet domum non eo animo, & voluntate, ut sit Ecclesia, potest Episcopus eam in ecclesiam conuertere, & consecrare: quemadmodum Bonifacius Quartus Pantheon. hoc est, Templum Dijs Gentium dicatum, consecrauit in ecclesiam omnium sanctorum, & alij Romani Pontifices fana Gentium in ecclesias conuerterunt, Deo, Beatæ Virgini, vel sanctis Cœli incolis consecratis.*

Sexto quaeritur, An in ecclesia ædificanda sufficiat tacitus episcopi consensus? Abbas in *c. Cura, de Iure Patron. ut referat Selu. de beneficiis par. 1. q. 6. n. 21.* censet requiri expressum consensum: quia in ijs, quæ odiosa sunt, inquit, non sufficit tacitus consensus, & odiosum est ius patronatus, quia ecclesia tali iure subiecta libera non manet. Card. n. tamen in *ca. c. Cura*, docet sufficere tacitum consensum episcopi, scilicet, si episcopus sciuerit ecclesiam constructi, & non impediuerit, neque contradixerit, cum tamen facti potuisset. Hanc sententiam sequitur Rochus de *Iure Patron. q. 8.* & Ioan. Selu. *de benef. par. 1. q. 6. n. 21.* & meo iudicio, hæc opinio est verior. Et quamuis Abbas dicit esse odiosum, ecclesiam constructi, eo quod is qui fundat, vel constructi, acquirit in ea ius patronatus, si solus tacitus consensus episcopi sufficit: odiosum tamen non est, ius patronatus: Nam tamen ecclesia libera non maneat, in bonum tamen ecclesiarum cedit, ut Laici ecclesias fundent, adificent, & dotent.

Septimo quaeritur, An ecclesia fundati, constructi, & consecrati possit sine dote? Respondeo: Non posse in Authent. de Ecclesia. 11. §. *Si quis autem, collatio nona* dicitur: *Si vero quis semel ceperit aut nouam adificare Basilicam, aut veterem renouare, modis omnibus compellatur a beatissimo locorum episcopo, & Oeconomis eius, & civilibus iudicibus, eam explorare: & si distulerit, hoc moriente hæredes eius opus inchoatum adimplere.* Item is qui fundat, & constructi, vel eius hæres, iure cogitur ad dotem assignandam *ca. Cum scitis, de Consecratione Ecclesie, & c. Placuit 1. quæstione. 8.* Quæres, quanta debeat esse dote? Debet esse tanta, quanta requiritur, ut ex ea vivere commode possit vnus Presbyter cum Clerico ministro, habita ratione obuentioium spiritualium, in Authen. *Ut nullus fabricet Oratorij domos, versiculo, Sancimus*, habetur, requiritur dote, quæ sufficit ad luminaria & ad domus custodum alimenta, & ad seruum ministerium. Idem statuitur in *c. Nemo, de Consecratione, distinctione prima*; Et secundum Archidiaconum in *c. Nemo, de Consec. distinctione prima*, & Glossa in capitulo, *Secundum, vigesima tertia, quæstione octauæ*: sufficit ei vnus mansus, id est, prædium, quod arari, & coli possit ab vno parocho, quodque immune, ac liberum debet esse ab omni seruitute, & onere temporali, *capit. primo, de Censibus.* Nec tunc Presbyter iure compellitur, ad hospitalitatis onus sustinendum, vel ad aliquid episcopo perfoluendum, nisi quoad potest donec eius ecclesia ad pinguiorem fortunam peruenit.

Argumento sumpto ex c. Cum dilectus, de Consuetudine. Porro Ecclesie Religiosorum Mendicantium sine dote edificari queunt. Idem iuris est de Ecclesijs, quæ edificantur in Monasterijs redditus annuos habentibus, ut notant Auctores, c. 1. de Censib.

Octauo queritur, Quid docendum, si episcopus nolit primarium lapidem ponere, aut suum ad id præstare consentiam in fundatione Ecclesie? Respondeo, eum posse compelli auctoritate superioris Antistitis, videlicet Archiepiscopi, vel Primatis, videlicet si Episc. absq; rationabili causa suum consensum denegauerit. c. Nullus, de Iure patronatus. Vbi Panormitan. generatim ait: Vbi requiritur consensus vnus in fauorem, & gratiam alterius, si reuerit consentire absq; legitima causa, possimus superiorum adire, ut cogat eum ad consentiendum. Vnde colligit, si statuto caueatur, ne qua femina possit matrimonium contrahere cum minori viginti quinque annis absque consensu duorum agnatorum, si agnati consensum denegent sine iusta causa possunt ad consentiendum compelli auctoritate superioris. Sic etiam Selua de Beneficijs, parte prima, quaestione 6. numer. 15.

Nono queritur, Quid faciendum, si dubitetur, An in fundatione, vel extructione Ecclesie episcopi consensus accesserit? Respondeo, cum Archidiacon. in c. Nemo, de Consecr. dist. prima, & Ludouico Romano in suis singul. Singula. 320. Et Ioanne Selua de Beneficijs, parte prima, quæ sext. n. decimo sexto, Ecclesiam credi semper fundatam, vel constructam consensu Episcopi, si in ea publice Missarum sacrificia fiunt, vel si in ea altare sit, & quod vocant Campanile, & dummodo is locus Ecclesie speciem & imaginem præ se ferat.

Decimo queritur, Quisnam Ecclesiam reparare iure cogatur? Respondeo, cum Hostiens. quem citat Siluest. in verbo, Ecclesia, secunda, quæ quarta: reparari debere sumptibus ipsius Ecclesie, si portionem habent deputatam ad vsus, Capitulo vnico, decima, quaestione tertia. Quod si hæc portio ad id non sufficiat, Rector & alij, qui in ea beneficia habent, conferre, & contribuere debent. capitul. primo, de Ecclesia adificandis, & capitul. Si Monachus, decima sexta, & quaestio prima, vel standum erit ordinationi Episcopi, vel maiori parti Capituli, ut vocant, capitul. vltimo, de ijs, quæ fiunt a maiori parte Capituli. Item vbi quæ sit consuetudo recepta, ut Laici suis impensis Ecclesiam reparent, id debent facere, quia ibi Sacramenta percipiunt, & rem diuinam audiunt, capitul. Quicumque, & capitul. Filij, decima sexta quaestione septima. Immo ad eam consuetudinem seruandum compelli queunt. c. Ad Apostolicam, de Simonia vbi vero talis consuetudo non extat, qui percipiunt quartam partem proventuum, quæ olim per Canones fabricæ erat deputata, eam soluere debent, vt reparetur Ecclesia: qua reparata, ad eisdem ea quarta portio proventuum redibit. Vnde Panormit. c. primo, de Ecclesijs adificandis ait: Prælatum debere quartam partem reddituum tribuere ad reparandam Ecclesiam, quando ad id nullos proventus habet Ecclesia, & consuetudo non transtulit ad populum onus fabricæ. Quod si quarta illa portio ad reparationem Ecclesie non sufficit, conferti & compellendi sunt, qui in ea beneficia possident, quando, detractis sibi necessarijs, aliquid superest.

Vndecimo queritur, An possint Ecclesie destrui, & ad vsus profanos conuertri? Respondeo, Ecclesias, Oratoria, Monasteria, conuertri non posse ad vsus profanos, capitul. Quoniam, decimanona, quaest. tertia, & c. Quæst. sunt. 17. quæ quarta. Immo, si destruantur ligna, & lapides, conuertri nequeunt ad priuatos laicorum vsus: quamuis, vt ait Glossa in capitulo. Qua semel, citato, ex huiusmodi lignis, & lapidibus conitru potest dormitorium, vel capitulum Religiosorum, quod vocant, vel possunt huiusmodi ligna in coquina Monachorum comburi. c. Ligna, de consecratione dist. prima. Item quamuis Ecclesie ædificium sit omnino dirutum, loci solum sacrum remanet. Glossa in ca. Qua semel 19. quaest. 3. ex l. Æde sacra. ff. de contrahend. em-

ptio. Siluest. in verbo, Ecclesia 2. quaest. 5. Præterea Monasterium conuertri non potest in Ecclesiam sæcularem. Glossa in §. Queritur si Monasterium, decimanona, quaestio tertia, nisi Monachi in eo male viuant, tunc enim iure queunt Monasterio eijci restitutum in eo Canonicis sæcularibus. Id vero totum fieri debet auctoritate Papæ. Si roges, An Episcopi auctoritate Monasterium possit tunc in Ecclesiam sæcularem conuertri? Alan. Tancred. Bernard. Goffred. in capit. Statuimus. 19. quæ 3. senserunt, posse. Sed verius est quod dicit Glossa loco citato, & c. Si episcopus 12. quaestio secunda. id fieri non posse nisi auctoritate Papæ, ut colligitur ex capit. Cum venerabilis, de censuris, & capit. Relatum, ne Clerici, vel Monach. Insuper si non inueniantur aliqui Monachi illius instituti, & ordinis, per quos possit Monasterium conferuari, ac regi: vel Monasterium huiusmodi non possit nisi per Canonicos sæculares commode gubernari, potest auctoritate Papæ ex eo fieri Ecclesia sæcularis. c. Inter, de Religiof. domib.

Quæres, An contra, Ecclesia sæcularis possit in Regularem episcopi auctoritate conuertri? Potest, ut ait Glo. in c. Qua semel. 19. quæ tertia, & c. Si episcopus 12. quæ secunda, & colligitur ex c. Si quis vult. 16. quæ sexta. & clarus ex c. si Episcopus, duodecim. quæ secunda, capitul. Ad audientiam, de Eccles. adificandis.

Duodecimo queritur, Sub qua forma sint Ecclesie construendæ? Clemens li. 2. Constitutionum Apostolicarum, c. 57. scribit, Apostolos instituisse, vt ecclesia extrueretur oblonga, & in modum nauis. Vnde idem Clemens epistola prima ad Iacobum fratrem Domini, & Hierosolymorum Episcopum, Ecclesiam vocat nauim. Sic etiam Anacletus Epistola prima. In hoc enim mundo, tanquam in mari versamur, & varijs ac multis malorum procellis iactati, in ecclesia tanquam in naui tuta seruamur. Idem quoque Clemens loc. cit. ait Apostolos instituisse, vt in ecclesia Altare primum, & maximum erigeretur versus Orientem, & sanctus Paulinus epistola duodecima, ad Severum, dicit ecclesias esse edificandas, vt versus Orientem prospiciant, si id commode fieri potest, Traditio est Apostolica, vt ad Orientem conuerfi oremus. Iustinus ad Orthodoxos, quæ centesima decima octaua. Tertullianus in Apologia, cap. decimo sexto: Origines in Numeros, Homilia quinta: Athanasius, quæ 14. Basilus, de Spiritu sancto, capit. vngesimo septimo: Nyssenus in libro de Oratione. Epiphanius lib. 1. c. 17. Aug. de Sermone Domini in Monte, c. 19.

Decimo tertio queritur, An diruta ecclesia, omnia eius priuilegia censeantur amissa? Respondeo, cum Innoc. & Abbate capitulo secundo. De noui operis nunciis. distinguendo: Si ecclesia destruitur auctoritate superioris ob delictum Clericorum, siue ob aliam iustam causam, Clerici ibi instituti, non possunt amplius vocari canonici, vel Clerici illius ecclesie, nec aliquid ex proventibus illi ecclesie deputatis percipere queunt. Idem iuris est, si ciuitas auctoritate superioris solo æquetur; incolæ eius nequeunt deinde appellari ciues illius, quia destructa est, & omnia illius priuilegia sublata. argumento sumpto ex l. Si vsus fructus. ff. quibus modis vsus fructus amittat. si vero ecclesia diruatur, vel ab hostibus, vel à tyranno, vel vt reparetur, tunc retinet omnia sua priuilegia: item si auctoritate superioris ad alium locum transferatur, vel alteri ecclesie vnatur, siue coniungatur. sic etiam Siluest. verbo, ciuitas: quæ 2. vnde Clerici illius ecclesie se possunt appellare Canonicos, vel beneficiarios, vel Clericos illius: & illis vita defunctis successores illorum, Glossa, vt citat Abbas in cap. Statutum, de elect. in 6.

Vnde fit, vt ecclesia secundo modo destructa, & reparata retineat Pontificium priuilegium, quo visitantibus illam ecclesiam certis quibusdam diebus, conceduntur condonationes peccatorum, quæ Indulgentiæ vocantur.

Idem iuris est, si in certa aliqua ecclesia sit Altare habens Pontificium priuilegium, vt qui in eo Missæ sacrificium pro defunctis fecerit, & obtulerit, liberet vnâ animam ab igne Purgatorio, & destruitur, vt reficiatur, vel

auctoritate superioris ad alium eiusdem ecclesie locum transferatur, retinet privilegium antiquum: quia videtur esse concessum in bonum illius ecclesie, in qua est erectum Altare, & id probat ratio supradicta, de ecclesia. Desinunt tamen Indulgentie predictae, si ecclesia vel Altare destruat, donec reedificetur, vel reparatur. *Syluester Indulgentia, quest. 5. vers. 7. Indulgentia durat, ubi ciat Paludanum.*

Decimo quarto queritur, Quot sint ecclesiarum differentiae? Sunt multae: nam est ecclesia Parochialis, Baptismalis, Collegiata, Cathedralis, Metropolitana, Conventualis, Curata, Matrix.

Parochialis ea est, quae habet Parochiam, territorium, & e populum certis limitibus episcopi auctoritate distinctum. *Archidiaconus in capitulo Licet Canon, de electione, in sexto.* Possent etiam Parochiae distingui per familias, ita ut quotquot sunt ex certa familia, sint huius, vel illius Parochiae, licet domicilium alio transferant. Sic enim incolae unius oppidi per familias distincti possunt pertinere ad duas iurisdictiones dominorum in eo oppido praesidentium.

Quaestio dubia est, An in iure communi, cum aliquid decernit de Ecclesijs parochialibus, appellatio illi intelligatur ecclesie, quae habitu tantum, & potentia habent Parochianos? Inno. & Ioannes Calderin. *in cap. de multa, de Præbendis. Speculator 1. de Legib. §. Videndum, sententiunt intelligi.* Sed oppositum docent, Glossa in capitulo, *Licet Canon, in verbo (Parochialis) de electione in sexto.* Hostiensis capitulo *De multa, de Præbendis.* Ioan. Andr. *in capitulo De multa.* Paulus Cast. *in Clementina prima, de officio Vicary: Federicus Senensis consilio 130.* Abbas *in supra citatis capitulo De multa.* Et hoc est dicendum, quod in eo iudicio solum habet in Ecclesia, cuius Parochiani omnes, vel mortui sunt, vel in lingua loca discesserunt, ita ut facile, aut breui redire non possint: alioqui enim si breui, aut facile redituri sunt, censetur Parochialis actu.

Baptismalis, vocatur ea Ecclesia, in qua est fons aquae ad Baptismum sacrae & dest. nata: quae non eo ipso, quo est baptismalis, pro Parochiali habetur, cum non habet Parochiam, territorium, & populum suae curiae subiectum. *Federicus de Senis, consilio centesimo trigesimo quinto.* Eadem ratione Ecclesia non est Parochialis eatenus solummodo quod ius habeat tradendi sepulturae mortuos. *Archidiaconus c. primo, de sepulturis in sexto: Host. in c. Quia nonnulli, de Clericis non residentibus.* haec enim possunt convenire ecclesiae consuetudine, privilegio, vel concessu Parochi, vel Episcopi.

Collegiata, ea vocatur Ecclesia, in qua est Clericorum Collegium, & non est cathedralis, nec Regularis. Cognoscitur Ecclesia Collegiata, primum ex eius institutione quod si id ex institutione non constat, tunc censetur Collegiata, quando habet arcam communem, & potest, ac solet Actorem, siue Syndicum constituere, per quem iurat, & lites movet, ac tractat. *c. Imperatori, §. c. In pertractandis, de iuramen. Calum. §. l. ff. Quod cuiusq. universitati.* Praetatum itidem suum eligere, & haeque similia facere potest, & significans, de appellat. Si quaeras, An si statum penale faciat mentionem de Collegio, comprehendat illud, quod tantum est Collegium habitu, non actu? Arbitror non comprehendere, *ut colligitur ex Abb. c. De multa, n. 24. de præbendis.*

Cathedralis Ecclesia est, in qua episcopus praesidet, ob cuius Cathedralis, & Sedem dicta est Cathedralis.

Metropolitana est, quae habet Archiepiscopum: Sicut Primatialis, quae Primatem: & Patriarchalis, quae Patriarcham habet, quamvis in Urbe quatuor Ecclesie dictae sunt Patriarchales, hoc est, primariae, & principales, videlicet ecclesia Sancti Iohannis Lateranensis, Sancti Petri in Vaticano, Sancti Pauli in via Hostii, & Sanctae Mariae Maioris in Monte Esquilino.

Si quaeras, An appellatione Cathedralis Ecclesiae, vel

Metropolitanae intelligatur etiam Patriarchalis Glossator in *Regula III. Cancellaria* negat intelligi in odijs & poenis: quia sicut Cathedralis generali nomine ecclesiae non comprehenditur in ijs, quae sunt odiosa, & poenalis, & hoc propter honorem, & dignitatem Cathedralis: Sic in odijs & poenis appellatione Cathedralis non continetur Patriarchalis propter singularem eius dignitatem. Deinde, quia quando summus Pont. vult Regulam, vel constitutionem Pontificiam locum habere in ecclesijs Patriarchalibus, exprimit eas Mandosius in *Regula tertia Cancellaria, q. 2.* docet appellatione Cathedralis, vel Metropolitanæ comprehendi etiam Patriarchalem, licet materia sit odiosa, & poenalis. Id probat *ex cap. Cleros, distinctione vigesima prima: ubi postquam expositum est, quid sit Patriarcha, Archiepiscopus, Metropolitanus, & episcopus, subditur, Omnes supradictos Ordines vno eodemque vocabulo episcopos nominari. Item, quia nomen (Ecclesia) convenit Cathedrali & Patriarchali. c. Constantinopolitana. ca. De Constantinopolitana. dist. 21.* Nihilominus probabilis est Glossatoris opinio.

Conventualis ecclesiae nomine venit ea, quae conventum, siue ceterum Clericorum habet. Dubia quaestio est, An iure communi, ecclesiae conventuales nomine intelligatur Regularis tantum, An etiam secularis? Mandosius in *Regula tertia Cancellaria quest. 3. n. 3.* docet, appellatione Conventualis iure communi intelligi ecclesias Regulares, & seculares. *capitulo Cum in tertia, de Electione,* ubi statuitur, ut servetur forma electionis in omnibus ecclesijs Conventualibus, & capitulo *Nobis fuit, de iure patronat.* Vbi Gloss. *in verb. Conventuali,* dicit, eo ipso dicit Conventuale, quo duo vel tres in Collegio sunt. Et Hostien. *ibidem vers. Quaterum,* pro eodem ponit, Conventuale, & Collegiatam ecclesiam. Et Abbas *in c. Cum in terra, de elect. Notab. 1.* scribit, quamlibet ecclesiam collegiatam, licet non sit regularis, sed secularis, dici posse conventuale: nam Conventus, Collegium, & Capitulum sunt Synonyma, licet vulgares homines Congregationem Religiosorum Conventum appellent: scilicet calatium vero, Capitulum.

Curata ecclesia est ea, quae curam animarum habet exteriori, interiori tunc, hoc est, siue in foro contentioso siue poenitenti. *Innocentius cap. dudum, 2. de electio. Abbas cap. de multa, numer. 24. de præbendis.* Quae est curata solum & non Parochialis, distinguitur a Parochiali: nam Parochialis habet curam animarum interiori, & ideo Sacramenta Populo administrat? Curata vero ecclesia habet iurisdictionem exteriori & ideo Praepositi ei, potest suspendere, excommunicare, interdicere, visitare, inquirere: & procuraciones ratione visitationis accipere. *ca. Dudum, secundum de Elect. vers. Sed cum in iure confessus fuerit, §. ibi Gloss. in verbo, suspendit.* Inno. & Abb. *in c. De multa, de Præbendis.* Si regularis sit, habet Monachos, & Conventum Si secularis, habet Clericos sibi subiectos. Omnis ecclesia Parochialis habet curam animarum: sed non omnis: quae curam habet, est parochialis. *Ioan. Andr. c. Super eo, de Præb. in sexto:* Aliqui Archidiaconi, Archiepiscopi, Diaconi, habent curam animarum exteriori. *Inno. cap. De multa, de præb.*

Si roges, An in iure communi pro ecclesia curata habeatur ea, quae tantum habitu, & potentia, non actu habet iurisdictionem exteriori, cuiusmodi est Ecclesia regularis, quae solum olim habuit Monachos, & Conventum, sed modo non item: & secularis, quae quondam ceterum Clericorum habebat, nunc non habet. Videtur sane idem iuris esse de huiusmodi Ecclesia, quod superius dixi esse de Ecclesia habitu, & non actu Parochianos habente.

Matrix Ecclesia, ut dixi superius li. 3. cap. 17. dicitur, ea, quae habet alias Ecclesias sibi subiectas. *c. Ad audientiam. 1. De alijs, Eccl. Item secundum Ioan. Andream. §. Abbas. dicitur Matrix Ecclesia ea, quae est Baptismalis, vel quae est maior ceteris, quae sunt in loco. Clem. 1. de Sent. exc. 6. Ma-*

trix Ecclesia item est, quæ est principalis & primaria in loco.

CAP. IV.

De consecratione Ecclesie.

Extat in Iure Canonico Titulus de Consecratione Ecclesie, vel Altaris. Ecclesia fundata, constructa, & dotata consecratur, ut in ea populus credentium oret, rem diuinam audiat, & Ecclesiastica Sacramenta percipiat.

Primo queritur, A quo debeat Ecclesia consecrari? Ab Episcopo cap. *Nemo, de Consecrat. distinct. 1.* & is debet esse Episcopus loci, non alienus. Episcopus enim extra suam diocesim ecclesias consecrare non potest, nisi consensu episcopi. cap. *Tua fraternitas, de Consecrat. Ecclesie, vel Altaris.* Quæres, An episcopus possit simpliciter Presbytero delegare consecrandi ecclesiam? Non potest, quia potestas consecrandi ecclesias, est ordinis episcopalis, non iurisdictionis. c. *Quamuis, distinct. 68.* Episcopus solum potest delegare, quæ sunt iurisdictionis, non Ordinis, cap. *A qua, de Consecr. Eccles. vel Altaris.*

Secundo queritur, An possit episcopus ecclesiam consecrare absque hoc, quod rem diuinam faciat, hoc est, Missæ sacrificium? Non potest cap. 2. c. *cap. De fabrica, de Consecrat. distinct. prima.* Si roges, An Missæ sacrificium factum ab episcopo, sit necessarium ad substantiam consecrationis? Respondeo, cum Hostiensis, Bernardo, & Hugone in c. *Quod sicut, de Electi.* non requiri ex substantia consecrationis, sed solum ex ecclesie præcepto, vel consuetudine, vel ab episcopo Missæ sacrificium fiat. Quare consecratio rata erit, & firma, etiam si Episcopus rem diuinam non fecerit. *Siluest. in verbo, Consecr. 2. n. 1.*

Tertio queritur, An iure possit ecclesia consecrari in die profano, non festo? Potest c. *Tua fraternitas, de Consecr. Ecclesie.*

Quarto queritur, Quando Ecclesia censetur consecrata? Respondeo, censeri, quando cumque id constiterit ex instrumento dotationis confecto, vel ex libris in Ecclesia asseruatis, vel ex scriptura in columna, aut tabula aliqua marmorea contenta: vel vno teste, qui se vidisse vel audisse testetur, c. *Solemnitas, & c. Ecclesia, de Consecr. dist. 1. & c. Sane, 2. q. 11.*

Quinto queritur, Quando ecclesia egeat consecratione? Respondeo, in tribus casibus, ut annotant *Doctores in c. Proposuit, de Consecrat. Eccles. vel altaris.* Primus casus est: Quando nascitur, vel ambigitur, ecclesia sit consecrata, necne, nec appareat aliquid ex prædictis superiori questione, ex quo probetur, eam esse consecratam. Secundus, quando ecclesia fuit igne exusta, ita ut fuerint parietes combusti, vel abradi ex toto, vel ex maiori parte, cap. *Ecclesia, de Consecrat. distinct. 1.* nam ut *Panorm. ait in cap. Proposuit, de Consecr. Eccles.* Consecratio consistit in parte exteriori parietum, qui Christinate liniuntur, & in quibus Crucis signum apponitur. Porro, si tectum Ecclesie solummodo fuerit igne exustum, non est iterum consecranda ecclesia, cap. *In lignis, de consecrat. Eccles.* Tertius casus est: si ecclesie parietes ex toto, vel ex maiori parte corruerint ita ut oporteat eos denuo reparari, etiam ex eiusdem ecclesie lapidibus, cap. *De fabrica, de Consecr. distinct. 1.* tunc enim ecclesia, quæ denuo erigitur, non est eadem, quæ antea. Secus est, si tantummodo tectum ruerit. cap. *In lignis, supra citato.*

Sexto queritur, An si parietes ecclesie paulatim per partes decendant, & paulatim reparentur, sit ecclesia denuo consecranda? Dux sunt opiniones: Vna asserentium, eam iterum esse consecrandam. Sic *Innocent. in Rubric. de Consecrat. Eccles. Panormitan. in capit. Proposuit, supra dicto,* quos secuti sunt teste *Siluestro in verbo, Consecrat. 2. quest. quinta. Angelus, & Rosilla.* Ratio eorum est, quia tunc non manet eadem ecclesia, quæ antea, secundum rei veritatem, sed tantum secundum fictionem, quæ nauis reparata, ea-

dem censetur, quæ fuit antea. *I. quod iterum ff. de leg. 1. at in spiritibus attenditur rei veritas, non iuris fictio.* Altera sententia est, dicentium, non esse iterum consecrandam. Ita *Glossa & Hostiensis in cap. Proposuit, de Consecrat. Eccles.* quam communem testatur *Syluester in verb. Consecratio secunda, questio quinta, vers. seruius est.* Hæc opinio magis ad veritatem accedit, quia sicut non solum secundum Caneones & Leges, sed etiam secundum rei veritatem, nauis, quæ paulatim per partes dissipatur, ac soluitur, & per partes reparatur, est eadem quæ antea, & ciuitas est eadem semper, licet aliqui nascantur, & moriantur, *I. Proponebatur, ff. De Iudicijs: & flumen manet semper idem, quamuis aqua superueniat, & eius abeat.* Sic etiam re ipsa est eadem semper ecclesia, quamuis paulatim per partes decidat, & reparatur. Er ratio huius est, quia partes ad unctæ sunt vna & eadem res cum partibus, quibus adduntur. Item in his, quæ sunt vnum accessione, vel additione partium, dignius trahit ad se, quod est minus dignum, ut si oleo, vel aquæ sacratæ oleum, vel aquam profanam, siue non sacram addideris. *Ex cap. quod in dubijs, de consecratione Ecclesie, vel Altaris.* Secus est, si modicæ parti parietis ecclesie consecratæ addatur magna pars, quia pars maior non trahitur ad formam partis minoris, sed è contrario: *Siluest. in verbo, aqua benedicta, q. 3.*

CAP. V.

Quot modis Ecclesia consecrata polluitur.

Primo queritur, In quibus casibus polluitur Ecclesia, ita ut sit reconcilianda, non denuo consecranda? Respondeo, polluitur seu violari in sex casibus. Primus est, propter homicidium in ea perpetratum ab aliquo voluntarie, & contra religionem, & libertatem loco sacro debitam. cap. *Proposuit, de consecratione Ecclesie.* Dicitur (voluntarie) quia non polluitur ecclesia, si quis in ea pereat ictu lapidis, qui casu è tecto, vel pariete decidit: nec item violatur, si quis ex amentia, vel furore impositionis factus seipsum interimat. *Hostien. & Hugo in cap. Proposuit, citato.* Secus si compos mentis ex ira seipsum occidat. *Gemin. in cap. 1. de consecratione Ecclesie in 6.* Dicitur, & contra religionem, & libertatem sacro adibus debitam, quia non polluitur ecclesia, si quis alterum interficiat, ut seipsum defendat, adhibito moderamine inculpatæ tutelæ. *Innocent. & Abbas in cap. Proposuit.* Secus esset, si citra talem moderationem periret. Polluitur vero etiam nullo sanguine fuso, ut si iudex in ecclesia furem suspendat, vel si quis furem suffocet. Ita *Glossa in cap. 1. de consecr. Eccles. in 6. Abbas, & alij in cap. Proposuit, de Consecr. Eccles.*

Si queras, An violetur ecclesia, cum quis vulnus accipit in illa, & mors extra illam sequitur nullo sanguine intra ecclesiam effuso? Respondeo, ecclesiam violari. *Glossa in loco supra citato.* Secus esset, si extra ecclesiam vulnere- tur, & mors intra illam sequeretur.

Rursus si roges, An polluitur, si Martyr intra ecclesiam occidatur? Quidam opinantur, minime eam pollui. Sed *Glossa in eo loco, quem antea protuli,* asserit ecclesiam violari: non quod Martyris sanguis effusus eam polluat: sed quod nefaria sit, & impia Martyris eedes pattata à Tyranno. Et quamuis lauandus non sit locus, in quo effusus est sanguis, ipsa tamen ecclesia est reconcilianda.

Quid si aliquis supra tectum ecclesie, aut in subterraneo loco sub ecclesia latenti perimatur? Respondet *Glossa in prefato loco.* Ecclesiam non pollui, qui non est homicidium intra ecclesiam perpetratum.

Secundo, Polluitur ecclesia effusione humani sanguinis voluntarie, & contra cultum sacro loco debitum facta. c. *Proposuit, de Consecr. Ecclesie, vel altaris.* Dicitur (voluntarie) quia non polluitur, si hæc effusio causa facta sit, sed citra vllum mentis consensum. *Hostiensis, c. Ecclesia, de consecrat. Eccles.* Item si vulnus sit acceptum in Ecclesia,

licet sanguis extra illam effluerit, polluitur Ecclesia, *Glossa in e. l. de consecratione Ecclesie in 6.* non tamen si quis extra Ecclesiam vulneretur, & in Ecclesia sequatur sanguinis effusio: nec item si modica sit sanguinis effusio in Ecclesia, *Abbas in e. Proposuiti. de consecratione.* Nec polluitur ecclesia alia, quamvis iniuria corporali citra sanguinis effusionem. *Abb. in e. Proposuiti. citato.*

Tertio polluitur ecclesia effusione humani feminis voluntarie, & contra cultum sacris debitum, intra ecclesiam facta. *Significasti. de Adulto. & c. Ecclesie. de Consecratione, dist. 1.*

Requiritur autem, ut sit voluntaria effusio: vnde non violatur ecclesia pollutione feminis, quæ in somnis contingit. *Glossa in e. Ecclesie, de consecrat. dist. 1.*

Dubia questionis est, An polluitur ecclesia per conjugalem congressum in ea factum? Sunt duæ opinioniones: Vna assentientium ecclesiam violari, quia licet talis complexus per se absque peccato fiat, non tamen fit absque iniuria loco sacro illata. *Sic Ioan. Andr. cuius sententiam respicit Siluestro in verbo, Consecrat. 11. quest. 5. vers. tertius casus est: sequuntur S. Antoninus, Summa Pisana, Paludanus & Angelus.* Altera opinio est, assentientium Ecclesiam non pollui; quia talis emissio humani feminis fit absque peccato: Ita *Summa Rosella, qui auctor secutus est opinionem Hugonis, & Glossa in cap. Ecclesie. de consecratione dist. 1. In verb. (vimine)* Prima itaque sententia est vera, nisi actus conjugalis in casu necessitatis contingat: ut puta, si coniuges diu in Ecclesia obsiderentur, & probabiliter emissionem feminis turpem timerent: quoniam sicut ecclesiam non iniuria humani sanguinis effusio ad vitæ corporalium conseruationem facta, *secundum Innocent. ut dixi superius in casu 1.* Sic non polluit ecclesiam humani feminis effusio facta ad conseruandam vitam spiritualem. Ita *Siluestro loco citato.*

Quarto, Polluitur ecclesia: quando in ea excommunicatus sepelitur. *c. Consuluiti, de consecrat. Ecclesie: & eius corpus extra ecclesiam est proiciendum; si ab alijs discerni queat. cap. Ecclesiam, de Consecr. dist. 1.*

Quinto, Polluitur Ecclesia, si in ea sepeliatur Paganus, vel is qui baptizatus non sit, *c. Ecclesiam producto.*

Quares, An in his casibus non solum talia corpora sint extra ecclesiam eicienda, & reconcilianda ecclesia, sed etiam abradendi parietes? *Ioan. Andr. in cap. Proposuiti, de consecr. Ecclesie.* dicit esse abradendos, quando sepeliretur in ecclesia is, qui excommunicatus, vel qui baptizatus non est: quod probat *ex c. Ecclesiam. 2. de consecr. dist. 1.* Item *Hosienf. etiam dicit abradendos parietes, quando sepultus est excommunicatus. Sed Panormit. in cap. Consuluiti, de consecr. Ecclesie.* censet sufficere, si reconcilietur Ecclesia: nam si parietes raderentur, ecclesie consecratio periret: vnde oporteret iterum ecclesiam consecrari. Et quod habetur in *cap. Ecclesiam.* locum, inquit, habet in ecclesia, quæ non est consecrata; tunc enim parietes abradentur, & ecclesia consecraretur.

Quid dicendum, si mulier Christiana gestans in utero foetum moriat, & in ecclesia sepeliatur, an tunc violatur ecclesia? Minime, quæmuis foetus vna cum matre mortuus in ecclesia sepultus sit, quia sepultus est tanquam pars ventris, & non separatus à matre, *capit. Si qua, de consecr. dist. 4. Sic Siluest. verbo consecratio. 2. q. 5. vers. quartus casus est ex Goffedo. Bernard. Hosienf.*

Sexto, Polluitur ecclesia, quando consecratur aut benedicitur, ut dicunt, ab Episcopo notorie excommunicato. Vnde antequam reconcilietur, diuina in ea celebrari iure non possunt, aut aliqui sepeliri. *Hosienf. Ioan. Andream, & Abbas in cap. Consuluiti de consecr. Ecclesie.* Id probant non quidem textu aliquo iuris, sed ratione: quia si corpus excommunicati sepelitur in ecclesia, eam polluit: maiori ratione polluet manus Episcopi notorie excommunicati in consecrantis.

Secundo quaeritur, An Ecclesia polluta censetur ex eo tempore, quo prædictæ causæ occultæ in ecclesia contin-

gunt, an vero solum ex eo tempore, quo ceperunt esse notoriæ? Communis est sententia pro polluta haberi ex eo solum tempore, quo prædictæ causæ notoriæ esse ceperunt. *Hosienf. Ioannes Andream, Abbas, & alij communiter, ut citat Syluester in verb. consecratio. 2. q. 5. vers. Tertius casus est.*

Tertio quaeritur, An propter furtum, vel rapinam in ecclesia commissam, ecclesia polluat? *Speculator rit. de consecr. Ecclesie §. 1. & Ioan. Selua, de benef. part. 1. q. 5. n. 102.* auiit, alicubi esse vsu receptum, ut pro polluta habeatur, *argumento sumpto ex cap. perniciosus, de celebr. missarum.* Sed communis est sententia, eam non pollui, quia in iure textus non est, quo probetur eam esse pollutam.

Si roges, quare ecclesia non censeatur polluta, ex multis delictis, quæ in Ecclesia patrantur contra sanctitatem, & contra cultum, & honorem sacro loco debitum, v. g. si quis rixam cum tumultu in ecclesia concitauerit citra vllam sanguinis effusionem: aut si quis alterius vnum, aut duo ossa confregit: aut pugnis tumorem, vel liuorem intulerit in faciem: aut alterum verberauit: aut si quis capitis sententia condemnatus, & inde extractus suspendatur: aut si iudex confugietem ad ecclesiam, per vim extraxerit: aut si quis in ecclesia perierit, aut in Deum maledicta coniiciat. Respondet Ioan. Selua, *de benef. part. 1. q. 3. n. 102.* huiusmodi casus in iure expressos non esse, ac propterea ecclesiam non polluit: quoniam quod in certis quibusdam casibus, & non in alijs ecclesia violatur, iuris Canonici est.

Quarto quaeritur, Quando polluitur Ecclesia, quæ consecrata nondum est: Polluitur effusione humani sanguinis vel feminis *cap. vlt. de consecr. Ecclesie.* Item, quando in ea sepelitur excommunicatus, vel is qui baptizatus non est. Insuper quando ab Episcopo notorie excommunicato sacrat, vel reconcilietur. *Panor. in c. Consuluiti, de consecratione Ecclesie.*

Quinto quaeritur, Quomodo, & a quo Ecclesia polluta sit reconcilianda? Respondet distinguendo: ecclesiam consecratam reconciliari debere à proprio Episcopo, vel ab alio Antistite ex eius consensu: & reconciliari asperzione aquæ per Episcopum sacrate, cum sale, vino, & cinere. Potest etiam reconciliari per simplicem Sacerdotem, mandato tamen Romani Pontificis, non Episcopi: & asperzione aquæ per Episcopum sacrate. Si vero ecclesia non sit consecrata, sed tantum benedicta, ut dicitur, ab Episcopo, potest reconciliari per simplicem sacerdotem. *Glossa in cap. vlt. de consecr. Ecclesie.* & asperzione aquæ benedictæ à simplici presbytero. nam *in eo c. vlt.* solum dicitur, eam esse protinus lauandam aqua exorcizata, ergo non oportet, vel Episcopum expectare, vel aquam ab eo sacram deferri.

Sexto quaeritur, An sit aliqua pena iure communi constituta in eos, qui diuina celebrant in ecclesia polluta antequam reconcilietur? *Hosienf. testibus Panormitano in cap. sic Ecclesia, de consecr. Ecclesie. n. 4. & Syluest. in verbo Consecratio 2. q. 9. sentit,* celebrantem diuina, vel sepelientem alterum in ecclesia polluta, irregularitatem contrahere, eo quod ecclesia eo ipso quod est polluta, videtur interdicta: quia *ut habetur in cap. si Ecclesia, de consecr. Ecclesie.* in ecclesia polluta, organa & diuina suspenduntur, donec reconcilietur. At alij contrarium senserunt, quorum sententia recepta est, in *cap. Is qui, de sent. excom. in 6.* Dicit tamen *Lopus teste eodem Syluestro,* talem Clericum celebrantem esse suspensum ab ingressu in ecclesiam *cap. Episcoporum, de priuileg. in 6.* Vnde in huiusmodi suspensione obstrictus, in ecclesia quæcumque sit illa, diuina celebret, suo munere & officio fungens, ut antea fiet irregularis, *intra id quod habetur in cap. Is, qui supra citato:* quia celebrat in ecclesia sibi interdicta. Sed hoc *Lopus* non probat ex aliquo textu iuris: quia in *cap. Episcoporum,* solum est sermo de eo, qui celebrat, aut celebrare facit in loco interdicto.

CAP. VI.

De Consecratione Cœmeterij.

Sicut Ecclesiæ consecrantur, ut in ea oretur, res diuina fiat & ministrantur Ecclesiastica Sacramenta: sic etiam Cœmeterium consecratur, ut in eo Christiani sepeliuntur. Olim enim non in ecclesijs sed in cœmeterijs sepeliebantur. Vnde Romæ extant multa Cœmeteria consecrata ad sepulturam Christianorum.

Cœmeterium nomen est Græcum, teste Athenæo lib. 4. cap. 5. Domus in qua hospites dormire, & requiescere solebant, à Cretensibus Cœmeterium vocabatur: in nouo testamento, dormite mortui dicuntur. *Ioan. 11. 2. Thissal. cap. 4.* quia sint reuerti, & iterum victuri. Vnde Christiani principio nascentis euangelicæ ecclesiæ cœmeteria appellauerunt loca, in quibus credentes, siue fideles sepeliebantur quasi dormitoria, in quibus requiescerent suo tempore resurrecturi. Olim Episcopi, & ceteri Clerici, ac Christiani in Cœmeterijs conuentus faciebant, psalmos cantabant, preces ad Deum fundebant. *Clem. lib. 6. Constit. cap. 29. Athan. in Apologia sua. Calliod. lib. 5. hist. Tripart. c. 3.* cœmeterium pro Oratorio accipit.

Imperatores Ethnicæ Christianos à cœmeterijs arcebant, cum eos persequerentur: restituebant vero illis cœmeteria, cum persecutionem remittebant. *Euseb. lib. 6. cap. 13. lib. 7. cap. 11. lib. 9. c. 2.*

Item cœmeteria in oppidis, & extra oppida extruebantur, & muris cingebantur, ut constat ex cœmeterijs vrbis Romæ.

Cautum erat, ne in ecclesia mortui sepelirentur, sed in cœmeterijs, & quibus. c. nullus. c. precipiendum. 13. q. 2. ex concilio Triburense, Namasense, & Vasoense.

Imperatoribus, Regibus & Principibus, datum est cursu temporis, ut intra ecclesiam sepelirentur: nam etiam illi principio extra ecclesiam sepeliri solebant, ut constat ex *Chrysost. hom. 66. ad populum Antiochenum, Nicephor. lib. 14. cap. 38.*

Primo queritur, An cœmeterium consecrari debeat, & à quo? Debet consecrari, & non nisi ab Episcopo proprio, vel ab alieno, ex consensu tamen proprio, non aliter: alioqui si ab episcopo consecratum non sit, non est locus idoneus & legitimus, hoc est, religiosus & sacer ad sepulturam Christianorum. Et sicut ecclesia aliquando non consecratur, sed benedicitur ab episcopo, & deputatur ad diuina: sic etiam cœmeterium potest ab episcopo benedici tantum, & ad sepulturam mortuorum destinari.

Secundo queritur, Quor & quibus modis cœmeterium polluat? Polluat totidem eisdem, quor, & quibus ecclesia, & præterea speciatim polluitur, polluta ecclesia, si est illi cœmeterium contiguum, *cap. 1. de consec. Eccles. in 6.* Sic quoque interdicta ecclesia, interdictum etiam cœmeterium illi coniunctum. *Si cœmeterium de sent. excommunic. in 6.* non tamen polluitur ecclesia cœmeterio polluto, quamuis illi contigua. *c. 1. de consec. Eccles. citato.* At si cœmeterium non sit ecclesiæ coniunctum, non polluitur, quamuis violetur ecclesia, illud enim ut pro polluto habeatur, necesse est, ut forsium per se violetur. *cap. 1. de consec. eccles. prædicto.*

Tertio queritur, Quid dicendum, si duo cœmeteria fuerint ita sibi vicina, ut inter ea solum sit medius vnus paries, an vno eorum polluto alterum pollutum censetur? Minime, etiam si in pariete sit porta, per quam ex vno ad alterum transeat: quia reuera sunt duo cœmeteria, quæ pariete diuiduntur. *Doctores in cap. 1. de consec. eccles. in sexto.*

Quid si in porta illa fiat humani sanguinis vel feminis effusio, tunc cœmeteria polluta habentur? Respondet Gemina. *in cap. 1. de consec. eccles. in sexto.* distinguendo. Si porta est vni eorum vicinior, illud tantum cœmeterium pollutum censetur: si vero porta sit in medio eorum, illud pro polluto habetur, cuius causa paries, & porta facta est: argumento sumpto ex *l. c. si non sunt, ff. de auro, & argento*

lega. vbi dicitur: *Speltamus, quæ res cuius rei ornanda causa fuerit adhibita, non quæ sit pretiosior.* Si autem dubitatur, cuius causa sit paries extractus, videtur principaliter factus, ut duo sint cœmeteria: ac proinde vtrumque pollutum est, quia tunc porta in pariete adhibita, causa vtriusque facta videtur esse.

Quarto queritur, Quomodo & à quo cœmeterium pollutum sit reconciliandum? Respondeo, eodem modo reconciliari debere, quo reconciliatur ecclesia per episcopum aspersione aquæ per ipsam solemniter sacratæ: si vero sit tantummodo benedictum ab episcopo, reconciliatur per simplicem sacerdotem, & aspersionem aquæ lustralis, hoc est, per presbyterum benedictæ.

Quinto queritur, An quando cœmeterium consecrandum, vel reconciliandum est, corpora excommunicatorum, vel Paganorum, siue eorum, qui cum baptizati non essent, sunt ibi sepulti, sint extra cœmeterium eicienda? Respondeo, si discerni queant à corporibus Christianorum, eicienda esse: nec tamen fidelium corpora, quamuis in cœmeterio sepulta, ab excommunicatis, vel Schismaticis, vel Paganis, exhumanda sunt, *c. A nobis, de Sacramentis non iterandis.*

CAP. VII.

De Consecratione Calicis, vel Patenæ.

De hac re egi in 1. part. lib. 10. cap. 28. quatenus Calix, & Patena requiruntur ad Missæ sacrificium faciendum. Præsentī loco agam paulo plenius, & clarius, & præcise de consecratione Calicis, quatenus est quedam res ecclesiæ.

Primo queritur, An calix consecrari debeat, & à quo? Respondeo, consecrari debere, & non nisi per episcopum proprium loci, vel alienum, consensu proprio. Consecratur autem vñctione Chrismatis in exteriori superficie adhibita.

Secundo queritur, An Abbates, & Priores, qui vtuntur insignibus episcopalibus, & iurisdictionem episcopalem habent, possunt calices consecrare? Card. in *Clem. Astensidanes, de statu Regular. §. statumus*, sentit posse, non quidem iure, sed consuetudine. At Geminian. Francus, Anchar. & Glossa in *c. Abbates, loco citato*, censent non posse iure, vel consuetudine, quia talis consecratio est Ordinis episcopalis, non iurisdictionis, At ea, quæ Ordinis episcopalis sunt, nequeunt alijs competere, etiam præscriptione, vel consuetudine, sed tantum privilegio Romani Pontificis. Nihilominus vera est prima sententia, quando talis consuetudo est iure communi approbata, vel Romani Pontificis tacito consensu permixta: secus non item: quoniam ea, quæ sunt Ordinis episcopalis, ex iure Canonico, siue diuino, nequeunt consuetudine alijs, quam episcopis conuenire, nisi eam consuetudinem, vel ius commune comprobeat, vel Rom. Pont. permittat.

Tertio queritur, An calix argenteus, & consecratus, si inauratur, hoc est, auro tegatur, amittat consecrationis formam? Ioannes Selua *de beneficiis, part. 1. quest. 5. nu. 99* censet non amittere, quia alioqui dicendum quoque esset, formam consecrationis perire ecclesiæ consecratæ, eo ipso, quo parietes dealbantur, aut picturis ornantur: quamuis, inquit, honestum esset, ut calix sic inauratus, aqua exorcizata, siue lustrali lauaretur, propter pollutorum manuum contractum, & propter materiam profanæ additionem.

Ex altera parte videtur calix factus esse profanus: nam qui mutat, vel addit materiam, nouum opus videtur facere. *l. 1. §. Opus nouum, ff. de operis nouis nunciatione.* Item, quia consecrationis forma desinere videtur, noua superficie inducta: certe si calix esset argenteus, & consecratus, & traderetur aurifici inaurandus, deberet prius tot ictibus perenti, ut consecrationis forma simul in totum periret

qua

qua percute fieret profanus, vt sic ab aur. sic licite tangi possit, & inaurari: alio qui enim calicem adhuc sacrum habentem, non possit licite aurifex manib. contrectare. Nihilominus tamen sine licite, siue secus aurificis manibus profanis tangatur, si inauratur, videtur consecrationem amittere, quia est alia superficies, & antiqua esse desinit: & calicis consecratio in superficie consistit. Ita videtur sentire Angelus, Rosella, Syluester, Tabien. Armilla, cum ait in verbo *Calix: cum calix argentus donatur* (vt ipsi loquantur) id est, auro tegitur, indiget consecratione. Sic dixi par. 1. *Inst. Moral. li. 10. c. 28. q. 4.* aliud est de parietib. ecclesie consecrata, si dealbentur, vel in eis aliqua depingantur: quia consecratio inest in crusta parietis, quae non perditur, si paries dealbetur.

Quarto quaeritur, An calix inauratus, & consecratus amittat consecrationis formam, si auro nudetur? Quidam aiunt: cum calicis consecratio in superficie consistat, fit inde, vt si calix inauratus nudetur auro, indigeat denuo consecratione. Ratio eorum est, quia percute auro, perit quoque superficies, & proinde consecratio. Sed hoc, meo iudicio, locum habet, quando simul, & in totum aurum perit vi, vel arte, vel calu aliquo, & in eo tantum consecratio calicis consistebat: Alioqui enim secus esset, si aurum ipso vsu quotidiano atteratur, & decidat, vt qu. proxime sequenti dicam.

Quinto quaeritur, An pereat consecratio calicis quotidiano vsu, quo aurum atteritur, & desinit? Praedicti Auctores Angelus, Rosella, Sylu. Armil. Tabien. aiunt vsu ipso non perire consecrationem, nec esse idem Iuris de calice consecrato, qui nudatur auro, quod Iuris est de parietibus Ecclesie consecratae, qui crustam amittunt: nam parietes nudati crusta iterum consecrari debent. *Glossa in cap. Ecclesie. de consec. dist. 1.* quia in crusta in parietem inducta consistit tantummodo consecratio ecclesie: At consecratio calicis inaurati non videtur solum in auro inherere, quia aurum tam subtiliter in argento ponitur, vt consecratio argentum penetret, & in eo quoque maneat.

An vero si vsu auri, & argenti superficies periret, consecrationis quoque forma esse omnino desineret, & calix profanus redderetur, & licite possit ab aurifex tangi, & inaurari, ac proinde iterum consecrari deberet. Denique quoties calix denuo inauratur, id est, auro tegitur, denuo est consecrandus, quia in eo noua est inducta superficies, & antiqua perijt, & consecratio in superficie consistit.

Sexto quaeritur, Vndenam fit inducta consuetudo, qua Praelati, vel Aeditui, antequam calicem consecratum tradant aurifici iterum inaurandum, quibusdam ictibus percussant: Rosella, Tabien. & Armilla, dicunt in Iure non inueniri, quod calix consecratus quibusdam ictibus percussus fiat profanus.

Dicendum existimo, tot ictus aliquando in calicem infigi, vt reuera consecrationis forma, qua factus est sacer, in totum esse desinat, eo quod illis ictibus, ex toto decidat, ac pereat superficies multo iam vsu attrita, & attenuata. Consuetudo igitur inducta est hac ratione, vt calix profanus aurificis manib. licite tangi possit, ictibus quibusdam percussus, quia bona fide creditur, adhuc ex parte formam consecrationis manere, quamuis vsu sit calicis superficies tenuis, ac subtilis effecta: bona quoque fide putatur, huiusmodi ictibus superficiem calicis vsu ipso attenuatam in totum perire, atque ita consecrationis formam desinere, ex quo fit, vt licite possit profanis manib. tangi: & proinde consequens est, vt calix denuo sit consecrandus, postquam est denuo inauratus, quia vt dixi, alia est superficies inducta, vetere abiecta.

Septimo quaeritur, An calix consecrationis formam amittat, cum scyphus eius in totum a pede separatur, & iterum illi coniungitur? prima par. *Institutionum Moralium libro 10. cap. 28. questione 7.* dixi esse communem sententiam, amittere. Sic enim Paludanus in 4. dist. 13. qu. 2. art. 5.

conclus. 2. a quo acceperunt S. Anton par. 3. tit. 13. cap. 6. §. 5. Angelus, Rosell. Syluest. Tabien. Aiunt illa in verbo calix. hoc porro locum habet in calice, qui frangitur, coque scyphus separatur a pede: nam eo ipso calix non potest amplius inseruire diuinis vsibus, ad quos consecratus est: & quamuis scyphus, & pes iterum coniungantur, denuo tamen indigent consecratione, sicut Ecclesia, si corruat, quamuis ex eisdem lapidib. reparatur, est denuo consecrandus: neque enim reparata, eadem est, quae antea: quemadmodum naus, si ex toto simul dissoluatur, & ex eisdem tabulis reficiatur, non est eadem, quae fuit, ac esse desijt. Item calix, quando cumque consecrationis formam perdit, denuo consecrari debet.

Octauo quaeritur, Quomodo S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. dicat, calicem nullius superioris auctoritate posse fieri profanum, quamdiu manet integer? nam si hoc est verum, nunquam calix fiet profanus, etiam si amittat totam superficiem inauratam, & consecratam, eo quod eo calu adhuc manet integer. Item 2. 2. questione 39. art. 3. ait, Omnes consecrationes Ecclesie sunt immobiles manente re: quae consecratur, sicut etiam patet in rebus inanimatis, nam altare semel consecratum, non consecratur iterum nisi fuerit dissipatum. Respondeo, non esse a communi sententia recedendum, quae ait consecrationem calicis in superficie consistere, & ideo si pereat superficies, desinit consecrationem, nec credendum est, S. Thomam locis citatis cum opinione communi pugnare: bene interpretari debemus, cum ait, calicem nullius superioris auctoritate posse fieri profanum, quamdiu manet integer, videlicet non solum, quod attinet ad partes substantiales, sed etiam quod attinet ad partes quantitatis, & calix si superficiem amittat, tamen si idem maneat, qui antea secundum substantiam, non tamen secundum quantitatem.

In dubium tamen vocatur, an pereat consecratio calicis, qui ita est a principio elaboratus arte, vt scyphus a pede amoueri, & iterum coniungi pro arbitrio nostro facile queat: Dixi de hoc d. 1. par. *Inst. Moral. lib. 8. cap. supra citata.*

Nono quaeritur, Ex qua materia debeant calix, & patena constare? Hanc quaestionem tractauit 1. par. li. 10. c. 28. qu. 3. De Altari, & de materia eiusdem, & de ceteris quae in eo iure communi requiruntur, egi 1. par. lib. 10. cap. 27. q. 3. §. seqq.

De benedictione, qua benedicuntur corporalia, & palae Altaris, & ceterae vestes, quib. sacerdos vtitur in Missae sacrificio, dixi etiam par. 1. li. 10. c. 28. q. 8. §. seqq.

Vltimo quaeritur, An per huiusmodi Ecclesiasticas consecrationes rerum anima & vita careantur aliquid imprimatur? S. Thom. 3. par. qu. 83. ar. 3. ad tertium respondet, huiusmodi consecrationes non fieri, eo quod ligna, lapides, & ceterae res animae expertes, sint diuinae gratiae capaces: sed quia quaedam spirituales virtutes consequuntur, qua credentium fides, & pietas excitatur, suntque homines ad diuinam promptiores, & aptiores, nisi frigida eorum corda virtutem illam impediunt.

Sed merito quis dubitet, quae nam sit virtus illa spiritualis? Respondet Sor. in 4. dist. 13. q. 2. ar. 3. *vers. Quod in erroribus*, esse virtutem quandam instrumentariam, non quod sit qualitas quaedam impressa, & inherens reb. sed quod per consecrationem res diuinis vsib. deputantur, vt fiat veluti quaedam instrumenta Dei, quib. ipse assistens vtitur ad excitandam credentium mentem ad fidem, & pietatem.

CAP. VIII.

De Immunitate Ecclesiarum.

Exat in Iure Canonico titulus de Immunitate Ecclesiarum, vnde apud Summistas est verbum, Immunitas. Est autem Immunitas, vacatio à muneribus, officijs, & o-

peribus.

neribus, quare immunitas ecclesiarum, ut ait Goffredus in *summa*, est privilegium, quo ecclesie, & ecclesiasticae personae, & res sunt liberae ab ijs officijs, muneribus, & oneribus, quae laicis conveniunt. Quapropter praesenti loco dicendum est mihi de immunitate, qua iure communi ecclesiastica loca, personae & res fruuntur.

Primo quaeritur, Quanam Ecclesiastica loca immunitate gaudeant? videlicet, An ecclesiae non consecratae, & an interdictae, vel pollutae, & An Oratoria, & Hospitales domus causa communis pietatis extructae, immunitate potiantur? In primis, non solum ecclesiae consecratae, sed etiam quae non sunt consecratae gaudent immunitate, *ca. Ecclesia, de immunit. Eccles.* hoc tamen locum habet in Ecclesijs, quae sunt fundatae auctoritate Episcopi primum lapidem in fundatione ponentis.

Dubium quaestio est, An id locum habeat, etiam in talibus ecclesijs nondum fuerint divina celebrata? Ratio dubitandi est, quia in hoc videtur exigi in *c. Ecclesia, loco citato*, & Glossa ibi sentire videtur, id esse necessarium. At Hostien & Abbas in eo capite censent id non requiri, sed satis esse, ipsas ecclesias auctoritate Episcopi, esse fundatas, & eo ipso deputatas ad divina celebranda. Sic etiam senserunt cum Hostiensis Leonus Lignanus, Cardinalis, & Laurentius in *Clement. 1. de poenitent. & remissio. ut restatur Panor. in ca. Ecclesia, citato*. Haec opinio magis ad veritatem accedit. nam fautores Ecclesiarum non sunt restringendi, sed laxandi, *ex c. adia, de reg. iur. in 6.*

Item ratio legis, in *c. Ecclesia*, non innititur in eo, quod divina celebrentur, sed quod ecclesia auctoritate Episcopi sit fundata, & deputata ad divina obsequia, & usus. Itē, quia ratio in lege posita, legem protendit ad terminos, & limites ipsius rationis: videtur enim ratio legis esse ipsa lex, *l. Cum pater. §. dulcissimi, ff. de lega. 2. c. l. Non dubium. C. de legib. & in c. ult. de reg. iur. in 6.* in narratione vero legis saepe ponuntur plura, ad quae lex non extenditur. Narratio enim non est ipsa lex, sed facti commemoratio.

Secundo quaeritur, An domus hospitales causa communis pietatis aedificare, gaudeant immunitate? Gaudent dummodo episcopi auctoritate fundentur. *Id colligitur ex l. Omnia privilegia. C. de Episcopis & Clericis. Sic Laurentius Clem. 1. de poenit. & remissio. Panor. in ca. Ecclesia, n. 7. de immunit. Eccles.*

Item quaeritur, An Oratoria habeant huiusmodi privilegia? Goffred. *resse Abbate loco citato dicit*, Oratoria, quae in aedibus priuatorum hominum eriguntur, non habere, quia sunt loca profana, quamvis pia, non tamen sacra. Unde talia Oratoria reduci possunt ad priores profanos usus: ut saepe redeunt solo nutu dominorum, ut docet Innocent. in *c. Inter dilectos, de donatio*. At vero si Oratoria Episcopi auctoritate fundentur, & divinis vsibus deputentur, privilegio fruuntur immunitatis. *Panormitan. capit. Ecclesia, num. 7. de immunit. Eccles.* Quapropter huiusmodi Oratoria ad vsus profanos reuerti non possunt: sicut ceterae Episcopi auctoritate diuino obsequio & cultui destinatae, ad profanos reuocari non possunt: cum tamen possint, si absque vlla Episcopi auctoritate ad diuina fuerint deputata. Res enim, aut locus, non sit religiosus, aut sacer privati hominis auctoritate, nisi Episcopi auctoritas accesserit.

Quarto quaeritur, An ecclesiae interdictae gaudeant privilegio immunitatis? Gaudent: sic Abbas in *c. Ecclesia citato numer. 8.* ubi citat Goffredum, & Vincentium, & Hostiensium, sic etiam sensit Avebid. in *cap. Pater noster. 17. quae. 4.* & id probat argumentum sumptum à simili. Nam Clericus licet sit interdictus, suspensus, vel excommunicatus, retinet privilegium immunitatis, videlicet privilegium Canonis, & fori. *cap. dictum. dist. 81. c. cap. Ac si Clerici de iud. ad finem.*

Quinto quaeritur, An Episcopi palatium habeat privilegium immunitatis? Glossa & Innocent. in *c. Constitutus 16. qu. 4.* simpliciter dicunt habere. Hostien. vero, *cap. inter alia, de immunit. Eccles.* ait habere, dummodo sit intra

quinquaginta passus, qui deputantur ad Eccles. attium, & circuitum. *c. Sicut antiquitus 17. qu. 4.* Hugo autem, ut restatur Abbas in *c. Ecclesia, de Immunit. Eccles. num. 9.* sentit, tum gaudere huiusmodi privilegio domum Episcopi, quando in ea est Cappella extructa, & diuinis vsibus deputata. Abbas loco citato sequitur opinionem Glossae, & Innoc. quam probat à simili, quia familia Episc. gaudet privilegio fori, quamuis sit secularis, ut notant Auctores in *cap. vicim. de de offic. Archid.* Item quia fauores sunt laxandi, non restringendi. *cap. Odis. de reg. iur. in 6.* Item quia in *ca. Constitutus 17. qu. 4.* simpliciter dicitur, Episcopi domum huiusmodi privilegio gaudere: at vbi iura nihil distinguunt, nec nos distinguere debemus.

Sexto quaeritur, An Coemeterium ecclesiae habeat privilegium immunitatis? Habet. *cap. Si quis contumax. 17. qu. 4.* unde interdicta ecclesia, interdictum quoque cenletur Coemeterium ei contiguum, *cap. Si Civitas. de sent. excom. in 6.* Nam sicut ecclesia consecratur ad orandum in ea, & rem diuinam faciendam, & audiendam, & ecclesiastica Sacramenta suscipienda: sic consecratur Coemeterium ad sepulcrum Christianorum.

Si roges, An is, cui est interdictus ingressus in ecclesiam, sit quoque interdicta sepultura in coemeterio? Respondeo, esse interdictum. *cap. Is cui. de sent. excomm. in 6.* Si iterum quaeras, An hoc locum etiam habeat in coemeterio, quamuis non sit ecclesia contiguum? Respondeo, locum habere. *Glossa in cap. Is cui, supra citato, in verbo. (Coemeterio)* Si dicas, cur ecclesia interdicta, solum contiguum coemeterium pro interdicto habetur, & tamen si alicui est interdictus ingressus in ecclesiam, interdictus quoque censetur in coemeterio, quod non est ecclesiae contiguum? Respondeo, cum *Glossa loco citato*, non esse idem iuris de interdicta ecclesia, quod est de eo, qui interdictus ingressus in ecclesiam, quia primum interdictum est loci, quare interdicta ecclesia, interdictum est Coemeterium illi coniunctum, non quod est separatum: at secundum interdictum est personae, non loci. Quare sicut is cui est interdictus ingressus in ecclesiam, non potest divina celebrare in ecclesia: sic etiam non potest sepeliri in Coemeterio, quamuis sit ab ecclesia seiunctum.

Septimo quaeritur, An porticus ecclesiae adhaerens, gaudeat immunitate? Gaudet. *Panormi. in cap. Ecclesia de immunitate Ecclesiae, num. 10.* & probat ex *cap. Si quis contumax. 17. quae. 4.* Vnde colligit, penam constitutam in eos, qui irrumpunt in domum, locum habere in his etiam, qui irrumpunt in porticum. Et id probat auctoritate Bartoli, in *l. Meminisse, ff. de offic. Procons. c. in l. Item apud Laborem, ff. de iniur.*

CAP. IX.

Quibusnam in rebus Ecclesia sit iure communi immunitis, ac libera.

DE hac re Panormi. *cap. 1. c. Cum Ecclesia, & ca. Inter alia, de immunit. eccles. in 6.*

Primo quaeritur, An iudicia secularia fieri possint in ecclesia? Non possunt. in *cap. Cum Ecclesia statuitur*, ne Iudices seculares causas Criminales, vbi de sanguinis effusione, vel de corporali poena agitur, sub interminatione anathematis tractent. Si roges, An iudicium seculare civile possit in ecclesia fieri? Non potest: ut patet ex *cap. Decet. de Immunit. eccles. in 6.* Quid si fiat iudicium, aut sententia à Iudice proferatur, valebit? Minime: quia in *cap. Decet. modo citato*, statuitur, ut omni robore firmitatis careat iudicium, si in Ecclesia fiat. at contractus in Ecclesia facti valent, quamuis peccatum sit eos ibi celebrare. *Glossa in praedict. cap. decet*, & Abbas in *c. cum ecclesia*, quia *e. decet*, ad contractus non protenditur.

Iterum quaeres, An saltem causam ecclesiasticam possit licite in Ecclesia tractare Iudex Ecclesiasticus? Potest. *Glossa, & Panormi. & alij, ecclesia praedicta.* Id probant ex

cap.

cap. p. acceptum, 2. quest. 2. Et ca. Qua fronte de applas. quia usquam in iure Canonico tale iudicium prohibitum invenitur.

Secundo quaeritur, Quid dicendum, si actori, vel reo est interdictus in Ecclesiam ingressus, & causa iudicialis in Ecclesia tractatur, An licite possit actor, vel reus, ad iudicium venire? Respondeo cum Panormitano, in ca. prefato. Cum Ecclesia. nu. 5. auctorem licite non posse in Ecclesiam ingredi, ac proinde à iudicio repelli, nec propter culpam ipsius locus iudicij mutari debet, quare si vult in iudicio audiri, absolutionem impetret: reus tamen iure potest ad iudicium venire; quia venit vocatus, & necessitate mandati e. intelleximus. de Iudic.

Tertio quaeritur, An tutor vel curator, pupillo vel minori possit in Ecclesia dari? Anchara. in c. Cum Ecclesia citato respondet posse, quia huiusmodi iudicialis causa est pia. Panormitanus vero in eod. cap. nu. 6. distinguit generaliter, vel causa iudicialis est iurisdictionis voluntariae, vel contentiosa. Si voluntariae, potest iure in Ecclesia expediri, quia in cap. Decet. de Immunit. Eccles. in sexto prohibentur iudicia, quae fieri solent cum strepitu forcali seu iudiciali, quale non est, quod per iurisdictionem voluntariam expeditur: si causa iudicialis est contentiosa, nequit iure in Ecclesia tractari, etiamsi fuerit causa pia: quia in c. decet, generatim statuitur, ne vlla iudicia saecularia in Ecclesia hant: & Iudex in suo tribunali, non in Ecclesia debet causas agere, & lites dirimere.

Quarto quaeritur, An possit in Ecclesia ad litterarium & honorificum Doctoris, vel Magistri gradum promoueri? Respondeo, cum Ioanne Andr. in c. decet. de consec. Ecclesia in sexto, & Abbate in c. Cum Ecclesia, eod. tit. posse: quia huiusmodi actus honestatem continet, & id habet consuetudo approbata. Si roges, An in Ecclesia fieri queant exercitationes litterariae, cuiusmodi sunt disputationes, repetitiones, & praelectiones? Respondeo posse, nam scientia res sancta dicitur, in l. 1. §. Est quidem, ff. de varijs, & extraordinar. cognition.

Quinto quaeritur, An laicorum societates, quae vulgo, Contraernitates vocantur, possint in Ecclesia convenire, ut ibi sua Concilia peragant, & conciones habeant, & negotia tractent? Respondeo, cum eisdem Auctoribus, Ioanne Andra, & Panor. non posse, quia in cap. Decet. supra citato, aperte dicitur, cessans in Ecclesia conclamationes, seditiones, negotiationes, praesertim mundanas, & fori, vniuersitates, & Societates quorumlibet concilia, conciones, & publica parlamenta: possunt tamen in Ecclesia congregari, ut opus aliquod pium, & spirituale efficiant, nimirum, ut offerant aliquid Deo, vel sanctis eius. Sic etiam Abbas cum Ioan. Andr. locis supra citatis. Nunquid in Ecclesia vendi queunt candelae? Angelus ait, id esse permittum, vel tolerari posse, nec obstat, quod Dominus eiecit e templo vendentes columbas, quia in templo fiebant pacta, & alia quae diuinum cultum impediabant. Rosella dicit posse vendi, si id fiat ad credentium pietatem promouendam; non aliter, certe in Ecclesia omnis negotiatio, & contractus, qui sit lucri causa, vel diuina officia perturbat, vel impedit, prohibetur. Sylu. in verbo immunitas. 1. quest. 2. versic. 5. intra Ecclesiam.

Sexto quaeritur, An possit Ecclesia inferuire loco castris, vel propugnaculi ad offendendos aliquos? Non potest cap. Sanctorum. 10. quest. 1. Innoc. Hostien. & alij in c. Cum Ecclesia saepe citato. Necessitate tamen possent Christiani in Ecclesia convenire tanquam in locum tutum, ut ibi se ab hostibus defenderent. Solent enim rustici confugere ad aedem sacram, vna cum bonis suis tanquam in propugnaculum. Ita Panor. loco cit.

Septimo quaeritur, An Iudex saecularis possit in domo Ecclesiae ius dicere? Respondeo Panormit. in c. 1. de Immunit. Eccles. non posse, si eam habeat sua auctoritate quasi ex iure publico ad habitandum. Secus vero esset, si eam conductam haberet, vel ab Ecclesia gratis & liberaliter concessam. Quid si in domo Ecclesiae ius dicat, valebit ne

quod facit? Respondeo Abbas loco praedicto, valere: quia in c. decet. de Immunit. Eccles. in 6. statutum est, ne rata sint & firma, quae Iudex saecularis facit in Ecclesia. Et cum haec sit poena, non videtur pretendi ad domum Ecclesiae: Poena enim, & odia restringuntur, non laxantur. cap. odia, de reg. iur. in sexto.

Octavo quaeritur, An Ecclesia possit inferuire ad excipiendos aliquos tanquam hospites? Non possunt e. 1. de Immunit. Eccles. nec vim habet consuetudo contraria, quia est cum onere Ecclesiarum. Quid dicendum, si Clericus, vel saecularis bene meritus de Ecclesia, aliqua referuauit sibi tanquam censum anauum, ut in ea possit hospitio recipi? Respondeo Innocentius & Abbas in cap. 1. de Immunit. Eccles. posse referuare, auctoritate Episcopis: id probant ex ca. Eleutherius 18. q. 6. Et c. cum dilecti, de donat. Et c. Verum. de foro compei. eadem ratione, dicit Abbas, Patronum Ecclesiae posse sibi ab initio referuare aliquod ius in illa Ecclesia, dummodo id fiat auctoritate, siue consensu Episcopi, ut habetur in c. Prater ea, de Iurepatronatus. Item in tra Ecclesiam, vel Coemiterium nequeunt supplectilia poni, vel infirmi in ea iacere, vel conuiuia fieri, nisi propter hostiles incurfus, vel alias necessitates, quibus cessantibus ad pristina loca reportari debent, cap. vis. penult. Et antepen. dist. 42.

Item Iudi publici in Ecclesia haberi non possunt, e. cum decorem, de vita & honesta Clericorum. At potest in Ecclesia representari praesep Domini, aduentus Magorum, & aliud quiduis simile ad pietatem excitandum.

Nono quaeritur, Quot & qui malefactores ad Ecclesiam confugientes, gaudeant immunitate, ita ut inde vi extrahi iure non possint? Inter alia de immunit. Eccles. & l. praesenti. C. de his qui ad Eccles. confugiunt, cautum est, ne liber homo quantumcumque malefactor, confugiens ad Ecclesiam, inde vi abducatur: nec morte, vel poena corporis pro delicto puniatur, sed ab Ecclesia defendatur: idem antea constitutum fuerat in c. desinitus, & c. metuentes. 17. q. 4. Excipiuntur tamen in dicto capite inter alia tria genera malefactorum, qui quamuis ad Ecclesiam confugiant, abripi inde queunt, & puniri. Hi sunt latrones publici, hoc est, qui palam & publice praedantur, vel publicas vias obsident, vel castra tenent, vel transfugientes spoliunt. Item nocturni depopulatores agrorum, id est, secundum Innocentium, qui noctu siue occulte agros populantur, & segetes vastant: vel secundum Panormitanum, qui nocturni in sidijs in agris, & vijs publicis depraedantur. Item, qui in Coemiterio, vel Ecclesia committunt delictum enorme, quale est homicidium, spe immunitatis Ecclesiasticae, cap. immunitatem de immunit. Eccles. Secus est, si enorme delictum non perpetrent, aut non delinquant, spe immunitatis Ecclesiasticae: quae spes semper adesse videtur, & creditur nisi contrarium probetur, ut ait Hostien. in c. citato. Immunitatem. Quid si aliquis in vna ecclesia delictum enorme perpetraverit, & ad aliam confugerit, poteritne ab ea lute defendi? Syluester in verbo, Immunitas 3. q. 2. vers. Tertium est eorum, dicit, cum immunitate non gaudere, etiam in alia ecclesia: quia cum sit vna Ecclesia vniuersalis, quamuis multae speciales, qui contra vnam delinquit, contra aliam quoque videtur deliquisse. Contrarium tamen, inquit, alicubi consuetudine recepta, seruatur: forte ob eam causam videlicet, quoniam sicut minor vitur suo privilegio contra alium minorem, sic eadem ratione vna ecclesia contra aliam.

Quid vero de raptoribus Virginum, adulteris, & homicidis dicendum; gaudentne immunitate ecclesiae, si ad eam confugerint? Anchara. in c. Inter ea, citato, negat gaudere: quia ita habetur in Authent. de Mandatu Princip. §. Quod si delinquentes: contrarium tamen communiter defenditur: quia illam Authenticam corrigi Ius Canonicum in c. Inter citato, quod tantum excipit tria genera praedicta malefactorum.

Si quaeras, An Iudex ad ecclesiam confugiens, gaudeat huiusmodi immunitate? Glossa, & Innocentius & Hostien.

entis in *supradicta*. *Inter alia*, affirmant gaudere. Glossi vero in *l. i. C. de his, qui ad ecclesiam confugunt*, & Panorm. in *c. Inter alia*, negant, nisi venerit ad ecclesiam studio, & amore fidei, vel religionis, & absque vlla simulatione, hoc est, non fingens velle se Christianum fieri. Prima tamen opinio probabilior videtur, ut ait Sylu. verb. *Immunit. 3. qu. 3.* quia in *c. Inter alia: pradiato* generatim constituitur, vt confugiens ad ecclesiam, ab ea defendatur: at vbi Ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Quid de Pagano ad ecclesiam confugiente dicendum? Innoc. Host. & Glo. idem affirmant, quod de Iudæo: idem iuris esse dicit Sylu. de Hæretico confugiente ad ecclesiam, non quidem ob hæresim, sed ob alia crimina. Idem de excommunicato. Ratio eorum est, quia nec hos excipit Ius Canonicum in *dicto c. Inter alia*. Clerici vero, aut Religiosi non gaudent hac Immunitate, si iudex ecclesiasticus velit suos Clericos extrahere ab ecclesia, vt vel in carcerem tradat, vel vt corrigat, aut puniat: & Religiosi, iuxta eorum Regulam & Commune Ius possunt in Monasterio cocereri, & puniri, etsi opus est, etiã de Monasterio eijci, & in arctiorem custodiam detru di. *cap. Vniuersitatis, de sentent. excommu.* Insuper confugiens ad ecclesiam tempore bellici incurfus, non gaudet hac immunitate, si ea vtantur loco castri, aut inde pugnent, vt offendant, & Sicut antiquitus. *17. q. 4.*

Quid dicendum de eo, qui detinetur in carcere, & inde dimititur iureiurando pollicitus ferediturum ad carcerem, gaudebit immunitate ad ecclesiam profugiens? Ioan. Andr. in *Additionib. ad Speculatorum*, tit. de *Iurisdictione*, respondet distinguendo: Si inique detinetur, redire nullo iure cogitur, præsertim imminente periculo mortis, vel mutilationis: at vero absolute non a Iurisdictione vitulo petere debet, si vero iuste detinetur, reuerti compellitur. ut ait Barr. in *l. Relegati, ff. de poenit.*: non tamen ecclesia debet permittere, vt per vim extrahatur, nisi præstita cautione idonea, hoc est, fideiussoria, vel saltè iuratoria.

Item dubia quæstionis est, An debitor æris alieni ad Ecclesiam confugiens, gaudeat immunitate, ita vt inde iniurus abduci non possit? Glossa in *Authen. De Mandatis Principum, §. Publicorum vero tributorum*, ait posse extrahi eum, qui est debitor tributi publici, quia ita habetur in illa Authent. Sed Petrus Rauennas, quem cit. & sequitur Cynus, vt referat Panorm. *cap. Inter alia, supra citato, numer. 2. 4.* sentit, etiam huiusmodi debitorem non esse ab ecclesia vi abripiendum, sed ibi citandum, qui si defenderit sese, saluus & liber erit, alioqui pceditur contra eum in bonis ipsius, id est, apprehenduntur bona eius, & ex illis soluetur tributum Principi debitum. Et Authentica illa Imperatoris constitutio locum non habet, quia generaliter Ius Canonicum prohibet quemquam ex Ecclesia inuitum abduci. *capit. Miror. cap. vltim. & capit. Si quis contumax 17. q. 4. & capit. Inter alia, supra citato*, & Ius Canonicum ipso quoque Iure Ciuili comprobatur. *l. Præsenti. C. De his, qui ad Ecclesiam confugiunt. §. sane.* Si vero debitor non sit tributari publici, sed æris alieni priuati, gaudet immunitate ecclesiastica *leg. Præsenti, prædicta*, & dabitur illi securitas, qua ei liceat exire, & commorari extra Ecclesiam per triginta dies, intra quod dierum spatium respondebit ad iudicium vocatus. Et si Iudex sententiam tulerit infra id tempus, dabit ei optionem, vt eligat quod maluerit, nimirum, vt vel sententiæ pronuntiate pareat implens, quod iubetur, & securitati tenentur: vel vt ad ecclesiam se referat. Ita Cynus, quem sequitur Panorm. *loc. cit.*

Quid dicendum de seruo metu domini ad ecclesiam fugiente? *Cap. nullus. §. cap. Si quis contumax 17. q. 4.* præcipitur, ne iniurus extrahatur, & *c. Inter alia, præfatio* habetur, seruum reddendum esse domino si repromiserit ipse dominus, non se illum puniturum, alioqui inuitum seruum domino non licet abripere. Idem habetur in *leg. Præsenti, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. §. sane. Institut. de his, qui sunt sui iuris, vel alieni*, amplius quid dicitur: Et magis seruo succurritur, non enim redditur ei domino, si metu

mortis, aut grauissima poena, ad Ecclesiam confugerit, sed cogitur dominus illum vendere. inter est enim Republicæ, ne quis aduatur ve sua, præsertim seruo: & quod habetur in *c. Inter alia, §. in l. Præsenti, supr. cit.* locum habet in seruo, qui veritus nimiam domini seuitiam, ad ecclesiam fugit: item seruus qui absque villo delicto, vel propter delictum modicum, vt si forte vnam vini mensuram fuerit domino furatus, & metuens ne à domino, vel à Iudice puniatur, gaudet immunitate ecclesiastica, quæ habetur in *c. Inter alia, §. l. Præsenti, supr. dictis.*

Decimo quartitur, Quomodo ab ecclesia defendi debeat is, qui ad ipsam confugit in casib. in quib. gaudet immunitate? Respondeo, Rectores ecclesiarum debent illi seruare vitam, & membra, & tutum eum efficere ab omni corporis tormento, siue poena corporali. *c. vltim. §. cap. Id constitutum, 17. q. 4.* & non possunt illum Iudici penenti reddere, nisi ille idoneam præstiterit cautionem, videlicet iurando se illum non puniturum. Immo si probabiliter crediderint Rectores ecclesiarum non seruaturum promissum iureiurando confirmatum, iure exigere queunt cautionem fideiussoriam. Item defendendus est ab ecclesia contra Iudicem sæcularem, non solum conan-tem illum vi abducere, sed etiam obsidentem Ecclesiam, vel denegantem illi, aut requiem, aut victum, aut vestes consuetas, aut aliquo alio modo vexantem, *l. Præsenti, supr. citata.*

Vndecimo quartitur, Quæ sit poena constituta in Iudicem sæcularem contra huiusmodi immunitatem Ecclesiasticam facientem? Iure Ciuili in *l. 2. §. l. Præsenti, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, habetur: si quis contra fecerit, sciat se crimine læsæ Maiestatis irretitum & vltimo supplicio puniendum. Iure vero Canonico talis Iudex excommunicari debet, & poena pecuniaria mulgari, & ad publicam poenitentiam adigi, nec ad communionem admitti nisi restituerit ecclesiam eum, quem per vim extraxit. *ca. nullus. ca. Si quis contumax. c. quibus 17. q. 4.*

Duodecimo quartitur, In quò consistat ecclesiastica immunitas eorum, qui ad ecclesiam confugiunt propter delictum? Consistit in duob. Primo, ne inde per vim extrahantur. Secundo, Ne amplius ob illud delictum damnentur ad mortem, vel ad poenam corporis. Possunt tamẽ condemnari poena pecuniaria, & dum in ecclesia commorantur, potest contra eos procedi ciuilitur. Et quauis ex ecclesia egrediantur, eo tamen ipso quo semel ad eam confugerunt, gaudent immunitate, ita vt iure non possint vi inde abripi, vel ob illud delictum corporaliter condemnari, & *Reum. 17. qu. 4.*

Decimo tertio quartitur, Cuiusnam sit impensas facere necessarias ad victum eius, qui fuga se contulit ad ecclesiam? Aiunt quidam, ecclesiam eas impensas facere debere, Id probant ex *l. Præsenti, C. de his, qui ad ecclesiam confugiunt. §. ex c. Definuit, 17. q. 4.* Sicut, inquit, Iudex siue Rector carceris debet victum ei, quem tenet in carcere. *l. Iudices. C. de Episcop. audien.*

Sed dicendum est, cum Panorm. in *præd. c. Inter alia*, qui ita distinguit. Auris habet bona, ex quib. possit viuere, & tunc ex illis bonis debet sibi victum parare: aut non habet bona, & tunc aut potest arte, vel manuum suarum labore victum quaerere, aut non potest. Si primum, inde se alet: si secundum, ecclesia ei victum ministrabit, tanquam pauperi. Quid si bona habet, sed eis vti non potest, quando in ecclesia commoratur? Tunc ei ecclesia alimenta præbebit: ipse tamen restituet impensas, cum suis bonis commode vti poterit.

Decimo quarto quartitur, Quot & quanam huiusmodi Ecclesiasticam violant immunitatem? Respondeo, in primis, eum, qui locum sacrum ingressus, vi abducit inde eum, qui seco contulit. Secundo, Qui vi trahit eum, qui est intra ecclesiam, vel cœmeterium, maau apprehensa veste eius, violat hanc etiam immunitatem, sicut is, qui Clericum traheret veste apprehensa, in excommunicationem incidere: Si quis confugiens ad ecclesiam vo-

caret, non esset huius immunitatis violator, quia sola vis Iure Canonico prohibetur: ac vis volenti non fit.

Quod si dolo receptus, abducatur ab Ecclesia? Dolus in hac parte pro vi habetur, ut dicit Abbas in ca. ult. de Immunit. Eccles. Tertio, qui è loco sacro occidit, aut vulnerat alium extra sedem sacram, videlicet telo, aut lapide misso, violat hanc ecclesiasticam immunitatem, hoc est, non ei suffragatur ecclesia, nisi probet, se id sceleris non admisisse ea spe & fiducia, ut protegeretur ab ecclesia. Is item qui ex Ecclesia reducit aliquem, & eductum occidit, aut vulnerat, habetur pro homicida, vel percussore in ecclesia, quia ceptum est delictum in ecclesia. Secus est, quando factum est licitum, & in vno loco inchoatur, in alia vero consummatum: tunc finis facti inspicitur: non primum: verbi gratia, statuto decernitur, ut quis impune possit in sua possessione percutere eum, qui in illam ingreditur: Titius irruit in Caium in suam possessionem ingressum: extra illam persequitur fugientem, & percutit, perinde se habet, ac si in possessione sua percussisset, quia initium fuit licitum. Quarto, qui in Ecclesia mandatum dedit alicui, ut extra ecclesiam homicidium committeret: aut contra quis extra ecclesiam mandat alteri, ut homicidium perpetret in ecclesia, nunquid hic ecclesiasticam violat immunitatem: Hac questio, inquit Paternitanus, pendet ex ea, vbi nam deliquisse intelligatur is, qui mandatum dedit de delicto parrando? An in loco vbi mandatum est datum, an vbi delictum est factum? Glossa in cap. Pastoralis, de sent. & re iudicata, videtur innuere, ibi deliquisse, vbi delictum est commissum. Sic etiam Bartolus in l. Si vi proponitur, ff. de fidei iussoribus, & in l. Non solum, §. Si mandatu ff. de iudicis. At vero alij sentiunt, intelligi factum delictum, vbi mandatum est dolosum, quando quis mandatum exequitur necessitate iuris, ut seruus iussu domini.

Decimo quinto queritur, An qui abducit ab ecclesia aliquem, iure cogatur eum restituere? Abbas in prad. cap. Inter alia, & Bartolus in l. Praesenti supra citata, sentiunt eum qui vi est abstractus, posse iure petere, ut libertati pristinae restitatur, quia est spoliatus: imo ipsa etiam Ecclesia potest agere, ut restituatur, quia ea itidem est spoliata. Vnde in c. Miror. 17. q. 4. dicitur, ecclesia debet per excommunicationem compelli ad restitutionem extrahentem, & interdiceret Clericis, ne recipiant oblationes à tota domo sua, quod etiam locum habet in eo, qui ab Ecclesia seruum abtulerit, sicut etiam si quis in alieno territorio capiat, potest iure petere, ut restituatur, Bartolus in l. Si cui, ff. de Accusation.

CAP. X.

De immunitate quam habent res, & bona Ecclesiarum, & pia causa.

PRIMO queritur, Quot & quæ priuilegia habeant res ecclesiarum, & pia causa? Respondeo, multa habere. In primis testamentum factum ob ecclesiam, vel piam causam, valet coram duobus testibus, etiam si Ius civile in alijs testamentis plures testes requirit. Hoc priuilegium continetur in c. Relatum 1. De testam. & fauet Iuri Canonico Ius Civile. Hac consultiissima, §. ex imperfecto. C. De testamentis, & locum habet non solum coram Iudice Ecclesiastico, sed etiam coram Ciuili, & seculari. Nam quoties apud Iudicem profanum controuersia est de testamentis pijs, Iudicium ferendum est secundum Ius Canonicum, non Civile. Abbas, & ceteri in c. Relatum predicto, Barr. Sall. l. 1. ut refert Couar. in d. c. Relatum n. 1.

Secundum priuilegium: Legata relicta Ecclesijs, vel ob pias causas in testamento, quod caret solemnni formula Iuris Ciuili, valent. c. Cum esset, de testa. In huiusmodi legatis sufficiunt duo vel tres testes, quamuis Ius Civile septem exposcat.

Si quaras, An valeant etiam huiusmodi legata, quando nullum est Iure Ciuili testamentum, quod attinet ad hæredis institutionem? Antonius in cap. Quod Clericus, de foro compet. censet, legata pia vim non habere, quando irritum est testamentum, quantum spectat ad hæredis institutionem. Sic etiam Salicet in Authen. Cassa, & irrita. C. de Sacrosan. Eccl. q. 9. Soc. conf. 5. vol. 3. Alex. conf. 41. vol. 1. & conf. 177. vol. 3. Iason in l. Hac consultiissima, §. Ex imperfecto. C. De restam. nu. 11. Contrarium tamen sentiunt Imolus, cap. Quia in Ecclesijs de constitut. Anania conf. 28. Antonius Rubens conf. 72. Couarruias in cap. Relatum. 1. de testament. numer. 3.

Si obijcias, Hæreditate non adita, pia legata non sunt soluenda, sed cum nullum est testamentum, ob irritam hæredis institutionem, non auditur hæreditas, ergo pia legata solui non debent. Respondet Couar. falsum esse, pia legata non debent, etiam si non adeatur hæreditas, quod probat in c. Raynald. §. 3. de restam. n. 11. vbi citat Bar. Bal. Anch. Abbatem, & alios, ut si Titius instituit Caium extraneum hæredem, isq; hæreditatem repudiat, aut non vult adire: aut non potuit, quia ante testatoris mortem decessit, legata pia non tantum actione, sed etiam officio iudicis peti possunt non adita hæreditate.

Tertium priuilegium: Quilibet potest suam rem ecclesie vel loco pio relinquere l. Generali, §. l. iubemus. C. de Sacrosan. Eccl. potest donare inter viuos, sine inscriptione, etiam si excedat quantitatem Iure Ciuili taxatam. l. Illud. C. de Sacrosan. Eccl. & Authen. De non alien. reb. Eccl. §. Si minus, cellat. 2. v. g. Iure Ciuili cautum est, ne donatio inter viuos sine inscriptione legitima excedat quantitatem quingentorum aureorum l. pen. C. de donat. ac si quis donet inter viuos Ecclesie, vel ob pias causas, etiam sine inscriptione, potest excedere quantum voluerit eam quantitatem. Hosti. & Ioann. Andr. in c. vlt. de solut. Barr. l. 1. C. de sum. Trinit. quamuis Glo. in Auth. de non alie. reb. Eccl. oppositum doceat, sed falso.

Quartum priuilegium: Transfertur dominium rei in ecclesias solo pacto, id est, sola nuda promissione, cum tamen in alijs sit necessaria traditio. leg. Vt inter diuini. C. De Sacrosan. Eccl. in emptione tamen requiritur solutio pretij, vel fides de eo, aliter dominium non acquiritur, ut ait Glo. in ea lege.

Quintum priuilegium: Quidquid emptum fuerit ex pecunia ecclesie, etiam citra nomen ipsius Ecclesie acquiritur Ecclesie c. Apostolicos 12. q. 2. & Glof. ibid. in verbo, construxisse, §. c. 1. & c. Inquirendum, de pecul. Cler.

Sextum priuilegium: Contra ecclesiam proprio Prælatu carentem præscriptio non currit, & superior Prælatu potest agere pro ea. Innocentius in cap. olim. 1. de restitu. spoliat. & colligitur ex ca. 1. De reb. Ecclesie non alien. in sexto: quamuis Barto. dubitauerit. l. secunda. ff. de aqua pluuiar. ar. cen.

Septimum priuilegium: Ecclesia fruitur iure minoris, & Reipublicæ, ita ut omnia priuilegia Reipublicæ concessa, videantur concessa Ecclesijs, Glo. & Panor. in ca. Audite. de integ. restitu. Gaudet etiam ecclesia iure Imperij, Glo. in c. 1. de immunit. Eccl.

Octauum priuilegium: Ecclesiastica vasa, vestes, cortinae, candelabra, & cætera ornamenta, quibus vitur in diuinis mysterijs, nequeunt ad vsus profanos conuerti. ca. qua semel. 17. quæst. 3. c. Nulli licet, duo decima. quæst. secunda. c. Li. gna. & sequen. De consecratione, distinet. prima. quemadmodum ipsæ Ecclesie in profana loca conuerti non possunt. Et sicut hoc locum habent in ecclesijs, Orationis & Cappellis Episcopi auctoritate fundatis, non in his, quæ quilibet sua priuata auctoritate diuinis vsibus deputat: sic etiam res ecclesie, ut vasa, vestes, candelabra, & cortinae sacris officijs destinata, nequeunt profanis vsibus deputari: secus vero est, si priuata tantum cuiusque auctoritate non sacra ab Episcopo diuinis mysterijs inseruiant. Terte autem Syluestro, verbo immunitas, prima questione 3. vers. 17. Raynerius dicit, si Legatus Apostolicus, vel Archi-

episco.

episcopus, vel episcopus hospicio exciperetur à Monachis vel clericis, vel ab altero episcopo, possit ecclesiasticis ea domus, ad quam diuerneret, ornari cortinis, candelabris, & subellijs ecclesiasticis. Et idem, inquit Synodus, si pararetur illi altare, oratorium, vel Capella in domo laici.

Nonum priuilegium: Res ecclesiasticæ nequeunt alienari absque solemnibus formula, quam Canonibus, & iura postulant: ut dixi superius in hoc li. c. 14. & 15.

Decimum priuilegium: Loca pia, ut hospitales domus causa communis pietatis, extructæ, sunt in iurisdictione ecclesiasticæ. Ad hæc, de Religiosis domibus & Clericis. Quia contingit, eo. s. Panorm. in c. Cum sit generalis de foro competent. Vnde, qui lædunt ea, habentur pro sacrilegis, cap. cum sit generalis, prædicto. Secus est, si læserint res, aut bona clericorum, nulla ipsi clericis vi, aut iniuria illata, quamuis ea bona pertineant ad iurisdictionem ecclesiasticam. Iudicis, e. Si Clericus, de foro compet.

Vndecimum priuilegium: Ecclesiæ, vel earum possessiones pro debitis alienis obligari non possunt: alioqui si quis ea obligauerit, suspensus est ab administratione spiritalium & temporalium capitulo secundo. De solut. A qua suspensione potest Episcopus absoluere. Si primo ipsam Ecclesiam seruet indemnem, cap. ex parte primo, de verborum significatio. Episcopi vero huiusmodi suspensione non afficiuntur, capitulo: Quia periculo sum, de sentent. excomm. in sexto.

Duodecimum priuilegium: Clericus habens ecclesiam laici auctoritate sibi collatam, si non dimiserit, est suspensus ab officio, & beneficio, & laicus ipse excommunicandus est. Præterea, de iure Patronatus, c. Si autem vobis, l. 1. q. 3. 6. cum non ab homine, de iudic.

Decimum tertium priuilegium: Rustici, hoc est, ecclesiæ coloni, qui dicuntur, glebæ adstricti, ad culturam agrorum: & vocantur originarij, vel ascriptij, de quibus habetur l. dist. in i. c. l. cum sacis omnino. C. de agri. & cens. l. 11. nequeunt ecclesiæ rura deserere se alio transerentes, e. indicatum, de immuni. Eccles.

Decimum quartum priuilegium: Nec Ecclesiæ, nec Monasteria, nec Xenodochia, hoc est, domus, ubi peregrini pauperes recipiuntur, nec Prochoropia, id est, ubi pauperes pascuntur, nec Brephoropia, id est, ubi infantes pauperum aluntur, nec Gerontocomia, hoc est, ubi senes infirmi curantur, nec Orphanotopia, id est, ubi pueri parentibus orbati nutriuntur. l. Sancimus, C. de Sacros. Eccles. obligantur ad lucratiuam descriptionem, 23. q. 8. c. in qualibet. s. Sancimus. Est autem lucratia descriptio quarta pars honorum, quæ à Curialibus relinquebantur extraneis: quam Fiscus siue Curia sibi vendicabat exceptis his, quæ relinquebantur Curialibus & eorum coniunctis, de qua habetur l. 1. & 2. C. Quando & quibus, quarta pars debetur, lib. 10. & l. 1. C. De imponenda lucratia descriptione, eod. lib. 10. lex erat, qua decernebatur, vt si curialis donaret alicui extraneo, vel in vita, vel in vltima voluntate, bona sua, curia siue Fiscus haberet quartam partem. Vnde si donabat Ecclesiæ, vel hospitali domui, nihil Fiscus detrahebat.

Decimum quintum priuilegium: Excommunicati, sunt qui sibi usurpant ecclesiastica iura, vel bona, quæcumque sunt illa.

Decimum sextum priuilegium: Rector ecclesiæ, qui potuit ecclesiæ aliquid acquirere, & id non fecit, vel qui negligenter passus est rem ecclesiæ præscribi, debet ipsi ecclesiæ, quod eius interest. vlt. l. 2. q. 4. & Glossa ibid. Panorm. in c. ex presentium, de pignori. in hoc enim Rector ecclesiæ se habet vt tutor pupilli, & curator minoris, qui ratione tutelæ ad hæc obligatur. l. Quidquid. C. Arbitrium tutela. Vnde sicut tutor ex leui culpa tenetur, si non curauerit, vt acquirat pupillo: sic etiam Rector ecclesiæ, si non procurauerit, vt acquirat ecclesiæ. Debet igitur sollicitè agere, vt ecclesiæ res augeantur, & meliores fiant.

Decimum septimum priuilegium: De rebus, vel causis ecclesiasticis iudex Ciuilis siue secularis cognoscere, &

iudicare non potest: e. decernimus, de iudicis, nihil laici de reb. ecclesiasticis statuere queunt. e. bene quidem. dist. 96. c. ecclesiæ S. Mariæ de constitut. e. cum laici, de reb. Eccles. non alien. ita vt de re ecclesiastica compromitti in laicum non possit. e. contingit, de arbitria.

Decimum octauum priuilegium: Ecclesia non debet gabellam, vectigal, Pedagogium, vt vocant, si aliquid ei doneatur, vel legetur, vel aliunde deferatur asportetur. cap. Quamuis. & dist. seqq. 23. qu. 8. Quid si Clericus res ecclesiasticas, ex vno loco ad alium transferat negociationis causa: An ex re ecclesiæ debeat gabella, vectigal, vel pedaggi-um? Respondeo cum Panorm. in c. vlt. de vita & honesta. Clericis, non deberi, quia Clerici delictum ecclesiæ nocere non potest, Federic. cons. 200. secus esset, si res essent ipsius Clerici, non ecclesiæ.

Decimum nonum priuilegium: Laici statuta condere de reb. ecclesiasticis iure non possunt, e. bene quidem. dist. 96. c. ecclesiæ S. Mariæ, de constit. e. cum laicis, de reb. Eccles. non alien. Quod si statuta ipsa expressim ad Ecclesias, vel res ecclesiasticas extendant, irrita sunt, & inania: quod si tantum generaliter statuta ferant, non expressis clericis, & ecclesiasticis reb. valent quidem, sed laicos tantum comprehendunt, & obligant, non ad ecclesias, aut earum bona protenduntur.

Quæres, Quo iure, Diuine an humano tantum ecclesiæ, & earum res sint immunes, ac liberæ à potestate ac iurisdictione laicorum? Hanc quæst. tractauit parte in sit. Mora. l. 5. c. 12.

CAP. X.

De immunitate, qua persona gaudet Ecclesiasticæ.

Primo quæritur, Quor, & quæ priuilegia contineat Immunitas Clericorum: Respondeo, multa. Primum dicitur priuilegium Canonis: qui enim Clericum percutit, incidit ipso iure in excommunicationem. e. Si quis. 17. qu. 3. locum habet hæc excommunicatio in his omnibus, qui manus violentas in Clericum iniecerint.

Secundum priuilegium dicitur Fori, nequeunt Clerici conueniri coram Iudice seculari, capitulo. 2. de foro compet.

Tertium priuilegium: Non possunt Clerici obligari ad munera personalia. l. omnes. C. De Episcopo & Cler. & c. Ecclesiarum 12. q. 2. Porro munerum personalium genera sunt tria. Et dicuntur personalia munera, quæ corporis labore, & aliquo eius, qui gerit, detrimento huiusmodi sunt. l. vlt. C. De munerib. & honorib. Quædam sunt munera fordida: vt cloacæ mundandæ, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, stabuli purgandi: de quibus in l. Maximarum. C. de Excusa muner. l. 10. in verbo, fordidorum. Quædam non sunt fordida, sed honesta, quia habent annexum honorem; huiusmodi sunt officia secularia Magistratuum Ciuilium. Quædam simplicia sunt, nec honorabilia, nec vituperabilia, vt tutela, vel cura data, vel testamentaria. Ad munera fordida obligari nequeunt Ecclesiæ, aut earum Clerici, aut Mancipia, aut coloni, aut familia, capitulo. Generaliter. & c. iuxta sanctionem, & c. placet. 16. qu. 1. & l. 2. C. De Episcopo & Cler. Item ad munera personalia secundi, aut tertij generis non obligantur Clerici, vel Ecclesiæ, ex c. sacerdotibus. & c. sed nec prouocationes, ne Clericis, vel Monachis. & l. generaliter. C. de Episcopo & Clericis. Vnde lex neminem. C. de Sacros. Eccles. quæ vult, vt ecclesiæ obligentur in aduentu Principis, vim non habet, quia expressim decernit, vt ecclesiæ ad ea teneantur, lex vero quum non exprimit Ecclesias, vel Clericos, non quidem comprehendit Clericos, aut seruos, qui sunt dominio Ecclesiarum subiecti. Innoc. c. 2. de Maior. & obed. quamuis protenditur ad laicos, & famulos, & quosuis alios, qui ad tempus, & mercede conducti ecclesiis inferuiunt. Ange. verbo. immunitas, numero 33. Silu.

immunitas. l. q. 4. versicul. Secundum ad munera. Si quegras, An Clerici obligentur ad custodiendam ciuitatem? Minime. *Panorm. in c. Peruenit. de immunit. Cleric.* Quid si graui necessitate Ciuitas prematur, aut commode custodiri non possit, sine Clericorum presidio? *Glo. 16. qu. 10. placet. in verbo, necessitate.* videtur innuere, tunc Clericos obligari ad custodiam Ciuitatis. Sed hoc locum habet dummodo Episcopi iudicio discernatur, sit nec ne grauis ea necessitas, cui per laicos tantum securi non possit, & dummodo per Episcopum, & non per laicos Clerici cogantur ciuitatem custodire, & tueri, vt docent Angel. & Syluest. *locus citatus sequitur Hostiens.* Dices: Clerici iure diuino, & naturali tenentur, quamuis non Ciuili: at cum necessitas custodiendi Ciuitatem est Clericis, & laicis communis, videtur ius naturale præcibere, vt Clerici tunc debeant tali necessitati subuenire: ergo iure naturali Clericos etiam obligat. Respondeo, argumento solum probari Clericos iure diuino, & naturali exemptos non esse, sed quod Clerici compellantur seruare id quod est iuris diuini, vel naturalis, laicorum non est, sed episcoporum, & aliorum superiorum Aristitum.

Quantum priuilegium: Ecclesiastici minime obligantur ad munera, vel onera realia laicorum siue Reipubl. Dicuntur munera realia, quæ sumptibus patrimonij expediuntur, & onera realia, quia imposita sunt reb. Huiusmodi porro munera realia, aut sunt simpliciter realia, aut ex parte etiam personalia. Simpliciter reale est, vt quod iumentum, vel plaustrum vel nauigium Ecclesie aut Clerici inferuat ad certum diem Reipublice. Item, quod ecclesia, vel Clericus certam fructuum annuorum partem exoluat Reipublice, vel certam quotannis pecuniæ quantitatem. His muneribus, & oneribus Clerici sicut & ipsæ etiam Ecclesie, sunt liberi, & exempti.

Quid si Respublica singulis suorum Ciuium possessionibus certum munus, onus, vel tributum imponat, & deinde vna ex illis possessionibus ad Ecclesiam, vel Clericum transferatur, an ipsa ecclesia, vel Clericus debebit huiusmodi onus subire? *De hoc dixi in prima par. Inst. li. 5. c. 13. q. 1. Et tractat Angelus verbo, Immunitas, n. 36. versic. tertium imponuntur, Et Sylu. Immunitas l. q. 5. ver. Tertio, an autem Ecclesie.*

Munera autem partim realia, partim personalia sunt, quæ habent, & sumptus aliquos patrimonij, & onus aliquod personæ. *lege. Olim. §. Micaia ff. de muneribus Et honoribus, & ab his etiam muneribus liberi sunt Clerici, & Ecclesie.*

Dubix questionis est, An Clerici, vel ecclesia, teneantur legibus, vel statutis laicorum, quibus decernitur, vt singuli certum quid soluant ad reficiendos muros vrbs, vel ad muniendas publicas vias, vel ad instruendum, aut reparandum puteum, pontem, vel fontem, Clericis, & laicis communem. *De hac quæst. egi in prima par. Inst. li. 5. ca. 13. q. 8. tractat eandem qu. Angelus verb. Immunitas n. 37. Syluester Immunitas l. q. 5. vers. Quartum, de concernentibus autem pietatem.*

Dubitatur etiam, An ecclesie, vel Clerici statuto laicorum teneantur, quo præcipitur, vt quisq; ante domum suam viam publicam muniendam curet, singuli ciues hoc aut illo modo ades constituant: fenestras aperiant, limina constituant, a quam deducant? *De hoc etiam dubio egi li. sup. cit. c. 12. q. 5.*

Quintum priuilegium: Ecclesiastici gabellam non debent ex vino, vel frumento, quod ex suis beneficijs accipiunt. *Bal. Petrus, Et Cyp. in l. Omnis. C. de Episc. Et Cler.* An vero debeant gabellam, ex vino, vel frumento, quod ex suo patrimonio colligunt, *de hac re dixi in 1. par. Inst. li. 5. cap. 12. quæst. 2.*

In dubium vocatur, Quid sit dicendum de gabella, que vulgo dicitur sifa, quæ imponitur in carnibus vel vino ob communem Reipublice necessitatem: vnde fit, vt Clerici carnis carnes, vel vinum emant, vel cogantur aliunde emere, si minoris velint emere? *Richardus Quodlib. 2. qu.*

30. sentit huiusmodi gabellam licitam esse, dummodo Respublica, vel Princeps non imponat animo, & voluntate extorquendi ab Ecclesiasticis. Id probat, quia indirecte, inquit, Clerici solunt: nam etiam si non essent Clerici, talis gabella imponeretur. Secundo, quia imponitur ob communem Reipublice necessitatem, videlicet ad solvendum æ alienum, quod Princeps, vel Respublica contraxit ad communem Clericorum, & laicorum utilitatem. Secus esset si institueretur solum ob commodum laicorum, vel ad solvenda debita, culpa eorum contracta. Tertio, quia etiam peregrini, aduenæ, viatores, & pauperes talem gabellam soluant: quod mirum non est, quia indirecte, & remote, non directe, & proxime obligantur. Ergo eadem ratione Clerici talem gabellam solvere coguntur. *Richardus sequuntur Astenfis in sum. li. 6. tit. 30. art. 4. Rosel. in verbo, Pedagogum. n. 17. Angelus in verbo, Immunitas l. q. 6. vers. 4. posteo quod.* Sed reuera huiusmodi gabella videtur immunitati Clericorum vel Ecclesiasticum nocere, quia eo ipso Ecclesiastici coguntur, vel carius emere, vel aliunde emere. Item vsu receptum est multis in locis, vt Ecclesiastici talem gabellam non soluant vel si soluant intra annum, vinum, vel carnes emendo, ad exitum anni Respublica vel Princeps damnum reficit pecuniaria compensatione. Nec obstat, quod dicitur, tali gabella clericis teneri solum indirecte, & remote: quia contra immunitatem Ecclesiasticam est, vt Ecclesie, vel Clerici onere laicorum grauentur. Nec valet, quod dicit Richardus, talem gabellam imponi ob communem Clericorum & laicorum necessitatem. Hoc enim solum probat, esse rationi consentaneum, vt Roman. Pontificis consensus, vel si ad eum non patet aditus, episcopi auctoritate huiusmodi gabellam Clerici soluant, non autem sola auctoritate laicorum, qui in Clericos, & Ecclesias potestatem non habent.

Sextum priuilegium: Clerici non tenentur statutis laicorum: immo qui contra eorum libertatem statutis condunt, sunt excommunicati. *c. Nouerit, Et c. Grauem. de sent. excom. Et c. Eos qui, de Immun. Eccles. in sexto.*

Statuta laicorum impediencia aliquo modo liberam facultatem donandi Ecclesie, vel Clericis, non valent. *Pau. c. Relatum. l. de testa. Et notatur in l. 1. C. de Sac. Eccles.*

Statuto laicorum, quod prohibet externis, vel ijs, qui non sunt iurisdictioni subiecti, aliquid vendi, vel donari, alioqui contractus nullus fit similitatis, non obstante, potest donari Ecclesie, Clericis, Monachis. *Ioan. Andr. ca. 14. de Immun. Eccles. in sexto: quamuis Card. secutus Franciscum de Albertis, contrarium senserit. Sed sententia Ioan. Andr. est tenenda, vt ait Sylu. verb. Immun. 2. q. 8. quam habent etiam Ioan. Cald. Oldrad. & Federic. teste Sylu. eod. in loco.*

Si statuto laicorum caueatur, vt non valeat testamentum nisi intra sex menses in sinetur: Nihilominus valet, si ecclesia, vel Clericus sit hæres, & non in sinetur. *Baldus in Auth. Cass. C. De sac. Eccle. Sylu. Immun. 2. q. 7.*

Si statuto laicorum caueatur, vt mulier donare aut contrahere, aut se obligare non possit, sine presentia duorum agnatorum: Nihilominus potest, sine huiusmodi solennitate donare, aut se obligare Eccle. Clericis, siue ob pias causas. *Ab in c. Relatum. l. de testa. Butrius ibi. Imol. in ca. 14. de Reb. Eccles. non alium nec vim habet, quod dicit Bal. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, Et c. Quæ in Eccles. de Constit. valere statutum, si mulier de re immobili aliquid statuat. Contrarium sentiunt, vt dixi, Abb. Butrius, & Imol. & Bartol. in leg. 1. C. de sum. Trinit. 11. q. 6.*

Idem Iuris est, si statuto caueatur, ne valeat venditio nisi proclamatio fiat in Palatio, si quis velit contradicere, vel nisi is, quis vendit, aut alienat, sit 30. annorum. *Sylu. verb. Immun. 2. q. 7.* Nihilominus valebit, si quis vendit eccle. vel Cleric.

Quid si statuto caueatur, ne quis vendat arma ijs, qui non sunt subditi Communitati, vel Principi, An comprehendantur Clerici, ita vt eis arma vendi non possint? *Cardin.*

teste Siluestro verb. *Immunitas. qu. 7.* censet, eo statuto obligari Clericos, quoniam Clericos arma habere, iure Canonico interdictum est. Vnde ait valere statutum laicorum, quo cauetur, ne hæc, aut illa vendantur ijs, qui non sunt subditi, si ea iure Canonico sint Clericis interdicta. Caterum dicendum est, generaliter statutis laicorum ecclesias, vel Clericos non ligari: quia laici in Clericos, vel ecclesias, iurisdictionem non habent.

Statutum laicorum, vt nullus externus beneficium ecclesiasticum habere, vel eius possessionem apprehendere possit, nisi prius ciuitas, vel senatus consensum præstet: Non valet, quia est contra ecclesiasticam libertatem. Sic Archid. & Cardin. c. 1. de Immunit. Eccles. num. 6. Siluest. verb. *Immunitas. 2. qu. 8.*

Si quæras, An statutum, quo violatur ecclesiastica libertas, si condatur à laicis, violet quoque eam; si condatur à Clericis vnus ecclesie contra aliam? Verbi gratia, si aliqui Canonici statuunt, ne quis ex suis Parochianis vocet ad funus Religiosos, nisi vocet totum Collegium Canoniorum? Respondet Syluester verb. *Immunitas. 2. qu. 9.* violare, quia est priuilegium toti Clero concessum, vt possit causa funeris diuinas laudes persolvere, & aliquam ob id eleemosynam accipere.

Statutum laicorum circa funera, exequias, & alia, quæ ad mortuos pertinent, non valet, quia est contra libertatem ecclesiasticam, vt habetur in c. ult. de reb. Eccles. non alien. vt si laici statuierint tantum numerum candelarum, vel decariorum, vel Clericorum, & non maiorem in funebribus esse adhibendum.

Hoc loco esset mihi dicendum, speciatim de multis alijs laicorum statutis, quibus illi contendunt Clericos obligare: sed de his disputatum à me est, 1. p. *Institutio. Moral. lib. 5. cap. 13. & 14.*

Septimum priuilegium: Clerici, etiam si adhuc sint sub patria potestate constituti, sibi acquirunt, quidquid comparant, vt Clerici sunt, & de eo possunt suo arbitratu statuere, *Auth. presbyteros. C. de Episc. & Clericis.*

Octauum priuilegium: Clerici etiam si filij familias sint, competes tamen rationis, possunt sine patris consensu lites, & causas agere pro suis bonis recuperandis. *Archid. in c. ult. de iudic. in 6.*

Nonum priuilegium: Clerici quamuis sint filij familias, non possunt vendi, & distrahi à patre, tamen si extremam famem patiantur. *leg. 1. C. de Patribus. qui filios distrahunt. libr. 12.*

Decimum priuilegium: Si seruus fiat Clericus domino sciente, & non contradicente, liber est, & immunitas à conditione seruili. *c. si seruus, dist. 54.*

Vndecimum priuilegium: Gaudent Clerici priuilegijs concessis militi, quæ Clericali ordini, & conditioni non repugnant. *Panor. in c. Episcopus. de Pactis.*

Duodecimum priuilegium: Soli Clerici possunt Canonice & legitime Ecclesiastica beneficia obtinere, *cap. ex literis. de transact. De his omnibus priuilegijs, agit Cardinalis Clemen. 1. de vita, & honestate Cleric.*

CAP. XII.

De Canonica quarta portione, quæ Episcopis, vel parochialibus Ecclesijs iure debetur, & priuilegium de Episcopis.

Cum hæcenus egerim de spolijs, & pensionibus Clericorum, & de rebus, ac bonis ecclesiarum non alienandis; superest nunc, vt agam de Canonica portione, Episcopis, vel parochialibus ecclesijs debita: Vt de omnibus ecclesijs & Clericorum bonis generatim tractetur, extat opusculum de Canonica quarta portione Lapi: & aliud de eadem re, Petri Vbaldini Perusini. Agunt hæc de re etiam Doctores in cap. officij, & cap. ult. de testam. Summitæ in verbo, Canonica portio, Angelus, Syluester, Rosel-

la. Agitur etidem in multis capitibus tit. de sepulchris, in Decretalibus, in 6. & in Clementinis.

Primo quaeritur, Quanam dicatur Canonica portio? ea est, quæ secundum Canones debetur Ecclesie c. De his, & c. Decernimus 10. qu. 1. & c. Constitutum 16. qu. 1. & Clem. Dudum, de sepulchris.

Secundo quaeritur, Quotplex sit Canonica portio? Est duplex, vna quæ debetur episcopo, altera quæ ecclesie debetur parochiali. Primam debent Episcopo omnes ecclesie, quæ sunt in ipsius diocesi constitutæ, ex omnibus bonis quæ ipsis relinquuntur, & obueniunt. De hac portione agit Glossa in c. officij, & c. Requisti, & c. ult. de testam. Estque tertia, vel quarta pars eorum quæ legantur, vel obueniunt ecclesijs, ac proinde dici solet, Quarta episcopalis. Secundam habet ecclesia parochialis ex his bonis, quæ Parochiani legant, siue relinquunt, vel offerunt ratione beneficij, cum quis alicubi extra Parochiam sepulchram eligit, & est, vel dimidia, vel tertia, vel quarta pars, secundum varias ecclesiarum, vel populorum consuetudines; *cap. Certificari, de sepulchris, & dici solet Quarta parochialis.*

Quid si alicubi nulla extet eiusmodi consuetudo, quora tunc pars episcopo, vel Parochie debetur? Spectanda tunc temporis est, inquit Hostiensis, consuetudo ecclesie Metropolitanæ: Quod si nec illa appareat, seruanda est consuetudo vicinarum ecclesiarum: quæ si varia fuerit, tunc secundum Goffredum, quarta debetur, quia in hac Canones, & Iura magis concordare videntur, *ca. In nostra, de sepul. Deinde, in dubijs sequimur; quod minimum est. l. Si ita relictum, ff. de legat. 2. & l. Semper, ff. De regul. Iuris: Et sic docet Archid. in c. Cum quis, de sepulchris, in 6. & Innocenti. in c. Requisti, de testam.*

Tertio quaeritur, An valeat consuetudo, vt nihil detur episcopo, vel ecclesie parochiali? Panormitanus in c. Certificari, de Sepulchris, dicit, secundum Glossam in c. ult. de consuetudine in sexto, vbi cumque est consuetudo præter ius, valet spatio decem annorum recepta: vbi vero est consuetudo contra Ius, non valet, nisi quadraginta annorum tempore præscripta. Quare consuetudo, qua episcopo, vel parochiali ecclesie datur minor pars, quam dimidia valet: at cõsuendo, qua datur minor pars, quam sit quarta, secundum Hostiensem, non valet, nisi fuerit præscripta quadraginta annorum spatio. Sic etiam Panormitanus, & Ioannes Andreas ca. Certificari citato, quia consuetudo dandi infra dimidiam partem, est præter, non contra ius: at vero quod detur minor pars quam quarta, nimirum sexta, vel quinta, est contra ius, quia secundum Canones, & Iura, quarta debetur. Sed an valeat consuetudo, vt nihil penitus detur? sunt duæ opiniones teste Siluest. in verb. Canonica portio. q. 1. Vna est afferentium, non valere. Sic Hostiens. Ioannes Andreas, Goffredus, & Roymerus.

Alter est opinio dicentium, valere, si spatio quadraginta annorum præscripta fuerit. Sic Innocenti. & Petrus Perusinus: quam sententiam sequitur Panormitanus, vt probabiliora in c. certificari prædicto, quia etiam si contra ius commune sit, valet quadraginta annorum tempore recepta, & multo magis vim habet, si fuerit temporis spatio inducta, cuius initium in memoria hominum non sit.

Quarto quaeritur, An possit episcopus, vel ecclesia vi pacti renuntiare iuri prædictæ quartæ? Teste Siluest. Canonica portio. q. 2. Archid. in c. Pactum, de Pactis in 6. ait, nullam vim huiusmodi pactum habere, quando notabili damno ecclesia læditur: alioquin valere, etiam absque superioris auctoritate.

Quinto quaeritur, Quanam ecclesie debeant quartam Episcopalem? Duæ sunt opiniones, Vnam habet Hostiensis in summa tit. de sepulchris, quam sequitur Petrus Perusinus, in suo tractatu de Canonica portione, eam debere omnibus ecclesijs in diocesi constitutis, etiam si sint exemptæ: nisi in priuilegio expressim continetur immunitas ab huius quartæ solutione, ac proinde eam deberi à Capellis Monachorum, Monasterijs, & alijs quibusvis pijs

Communitatibus, locis, vel domibus. Ratio est, quia putant Hostiensis, & Petrus huiusmodi quartam exigi ab his, qui legant, siue relinquunt bona Ecclesijs: ac proinde talis quarta debetur episcopo ab ecclesijs etiam exemptis, quoniam qui legant ecclesijs, exempti non sunt.

Altera sententia est Panormitani in *c. officij. de testamen. afferentis*, talem quartam minime deberi ab ecclesijs exceptis, quia non debetur ratione legantium sua bona Ecclesijs, sed ratione ecclesiarum, quibus legantur bona. Ecclesie enim talem quartam debent Episcopo ratione sollicitate curæ, quam habet de ipsis ecclesijs sibi subiectis: Et hæc opinio est communi omnium consensu recepta: quam habet Angelus verbo, *Canonica portio*.

Sexto quaeritur: Ex quibus bonis detrahatur quarta Episcopo debita? Respondeo, eam detrahi in primis ex omnibus bonis, quæ legantur parochiali ecclesie. *c. De quarta. de prescri. c. Conquerente. de officio Ordin.* Item debetur Episcopo quarta pars oblationum. *c. Concessa. 12. q. 2. ca. De his. 10. qu. 1.* Item debetur ex bonis omnibus, quæ offeruntur locis causa communis pietatis extructis, & decimis; & his quæ offeruntur causa funeris. *cap. Requisisti. de testam. Et ibi Panorm.*

Septimo quaeritur, An sint aliqui casus iure exempti, in quibus quarta episcopalis ex bonis, quæ ecclesie obveniunt, deduci non possit? Petrus Perusinus, *ut ait Siluester in verbo, Canonica portio. q. 4. Et Angelus nu. 9.* numerat septem casus. Primus est, quando aliquid ecclesie relinquitur pro his, quæ pertinent ad perpetuum Diuinum cultum, nimirum pro ecclesie fabrica, pro Capella construenda, pro vestibus, ære campano, vel alijs ad usum diuini cultus *cap. ult. de testam. Et c. ex parte. de verb. signif.*

Secundus casus: Quando legatur aliquid ecclesie pro sacris ad diuina ministeria ornamentis reparandis, *secundum Innocentium ex ca. ult. de testamentis, Et c. ex parte. 2. de verb. signif.*

Tertius casus est: Quando legatur Ecclesie aliquid pro ea reparanda, eo quod reparatione indigeat, & aliunde non habeat bona, ex quibus reparari queat, vel pro sepulchro extuendo, *cap. ult. de testam. Et c. ex parte. 2. de verb. signif.*

Quartus casus: Quando legatur aliquid ad luminaria, vt oleum, lampades, vel cerceos, *cap. ult. de testam. Et cap. ex parte. 2. de verb. signif.*

Quintus casus: Si legetur aliquid ad anniuersarium perpetuum celebrandum *c. ult. de testam.* Item quarta non deducitur ex equis, & armis legatis fauore Terræ Sanctæ. *c. In nostra. de sepul.*

Sextus: Quando legatur aliquid pro septenario, vicenario, aut tricenario quotannis faciendo in perpetuum. *Hostien. c. ult. de testam. Et ca. ex parte. 2. de verb. signif.*

Septimus casus: Si legetur aliquid ad perpetuum diuinum cultum, puta, vt quotannis Missæ sacrificium fiat in die alicui Sancto dicato, vel vt Diuina officia decantentur in hac, vel illa Capella.

Octauum casum addit Panorm. in *c. Requisisti. de testam.* non deberi quartam episcopo ex ijs oblationibus, ex quibus olim non soluebatur.

Nonum etiam adiungit idem Auctor, non deberi quartam ex his, quæ quis in vita donat ecclesie, videlicet donatione inter viuos, quod probat *ex c. De his. de sepul. Et c. 1. de statu Monach.*

Octauo quaeritur, An sit detrahenda quarta episcopalis ex his, quæ relinquuntur hospitali domui in qua infirmi & pauperes curantur & aluntur? Conuenit inter omnes auctores esse detrahendam, si fuerit locus religiosus, & sacer, hoc est, episcopi auctoritate constructus, *Ioannes Andr. Et Panorm. in cap. officij. de testam. n. 7.* Quid si relinquitur aliquid pauperibus certæ cuiusdam domus hospitalis? Ioan. Andr. dicit, ex illo quartam episcopalem deberi; quia quod ita relinquitur, censetur relictum ratione loci pij, non persone.

Si vero hospitalis domus religiosus locus non sit, hoc

est, priuata alicuius auctoritate, non Episcopi fundatus, teste Panormitan. in *c. Officij.* sunt opinionones: nam Bald. & duo alij Doctores sententur, non esse deducendam quartam. Petrus Perusinus, & duo alij dixerunt oppositum. Sed ipse Panormitanus distinguit: Aut manet fundatore defuncto, aut fundatore adhuc superstiti. Si primum debet quartam episcopalem; quia cura illius hospitalis domus est penes Episcopum, & amplius ad profanos vsus conuerti non potest. Si secundum, quarta episcopalis non debetur, quia illius loci Episcopus curam non habet: & quamdiu viuit fundator, potest eam domum diruere, & ad quos velit vsus transferre. *ca. Inter dilectos. de donat. Et ibi Innocent.* quare cum locus pius non habeatur, capax non est legati pij: & proinde quod ei relinquitur, censetur relictum pauperibus, non loco.

Nono quaeritur, An si quis legat aliquid pauperibus simpliciter, ex eo debeatur quarta episcopalis? Baldus in *c. Officij. de testam.* distinguit: si legetur personis, non debetur: si vero loco pio, vbi pauperes aluntur, debetur. Tunc autem legatur personis, non locis, quando testator constituit, vt cuilibet pauperi detur vestis, aut certæ pecuniæ quantitas; tunc enim legatur pauperibus, vt singulis: quando vero testator legat pauperibus simpliciter, & generatim, videtur legari domui hospitali, quæ est in oppido, vbi testator domicilium habet, vel vbi testamentum condidit. At Ioannes Andreæ in *c. citato. officij.* negat quartam deberi, quando aliquid legatur pauperibus simpliciter: putat enim tunc legatum esse personis, non loci. Siluester in *verbo Canonica portio. qu. 5.* dictum, inquit, Baldi credo verum: quando hospitali generale est, suscipiens omnes pauperes: & dictum Ioannis Andreæ, quando hospitale pascit paucos, vel solum certum genus personarum, puta spurios, vel fenes, Meo iudicio, sententia Andreæ est valde probabilis.

Decimo quaeritur, An si quid legetur certo alicui Clerico, vel leprosis qui in certo loco curantur, quæ pars debeatur Episcopalis? Respondeo Petrus Perusinus *quem sequitur Siluest.* Canonica portio. *qu. 6.* non deberi, quia legatur personis, non locis. Idem Iuris est, si legetur Religiosis in certo loco commemorantibus, vel puellis, vt dotem habeant, vel viduis peregrinis, vt alantur. *Siluester loco citato.*

Vndecimo quaeritur, An quarta episcopalis debeatur ex his, quæ legantur, vel relinquuntur locietatibus, quæ fraternitates vocantur? Hanc quaestionem late tractauit Petrus Perusinus in *suo opuscul. qu. 14. principali.* Sunt duæ opinionones. Prima aherentium non deberi. *Sic Abb. in c. officij. de testam. ad fin. Et conf. 31. vol. 1. Et Federi. conf. 129. Bal. Laurentius Et alij, quos citat Couar. de testam. c. offic. num. 12. Angel. Canonica portio. nu. 10. Siluest. eo. verb. q. 4.* Altera sententia est dicentium deberi. *Sic Anchar. Barbat. Petrus Perusinus, quos citat, Et sequitur Couarruuius loco citato.* Mihi prima sententia placet: quia legatum non est factum loco pio, sed collegio personarum pio.

Duodecimo quaeritur, Vtrum debeatur quarta episcopalis, si quis subditus episcopo leget aliquid ecclesie extra dioccesim constitutæ? Minime, quia cura illius ecclesie non est penes episcopum. *Abbas in ca. Requisisti. de testam. Innocent. c. officij, Et Ioan. Andr. in c. certificar. eod. tit.*

CAP. XIII.

De Canonica quarta portione parochiali.

Primo quaeritur, Quinam debeant quartam parochialem? Respondeo, debere omnem ecclesiam, in qua quis sepelitur, vel ad quam se transfert, etiam si alioqui sit exempta: quia debet eam Parochianus, qui extra Parochiam sepulturam eligit. *Innocent. in cap. Relatum. Et c. Requisisti. de test. Et c. In nostra. de sepulchris.*

Secundo quaeritur, Ex quibusnam rebus quarta parochialis

chialis debetur: Debetur ex omnibus quæ obveniunt ratione funeris, nimirum in die, quo quis sepelitur, & ex omnibus, quæ legatur ecclesie, in qua quis sibi eligit sepulturam, siue mobiles, siue immobiles sicut res. *In nostra, de sepult. & Clem. Dudum, eo. tit.* Non autem debetur, si aliquid legatum sit personæ, non loco.

Tertio quaeritur, An debeat quarta parochialis, ubi consuetudine, vel præscriptione non soluitur? Immo si consuetudine, vel præscriptione alicubi nihil offertur, vel legatur, nihil debetur.

Quarto quaeritur, Quot & qui casus sint, in quibus quarta parochialis non debetur? Petrus Perusinus multos casus enumerat. Primus est, quando expresso Rom. Pontificis privilegio aliquæ Ecclesie sunt exemptæ.

Secundus est: Quando aliquid recipit ecclesia donatione inter vivos *cap. De his, §. Si vero, de sepult.* Idem iuris est quando legator dum vivit, legatum Ecclesie soluit: tunc enim legatum transit in simplicem donationem inter vivos *Glo. in l. legatum, ff. de leg. 2.* quamvis Panorm. & Card. teste Sylv. in verbo, (Canonica portio) q. 9. oppositum sentiant.

Tertius casus: Quando quis postquam elegit sepulturam in certo aliquo monasterio, bene valens, in eo Religiosam vitam proficitur: tunc enim de bonis eius nihil Parochie debetur. *Panorm. & Glo. in c. Relatum, de sepult.* Religiosus enim videtur acquirere domicilium in Monasterio, professione facta. Idem iuris est, si in Monasterium ingreditur animo, & voluntate absolute mutandi vitam: tunc enim definit esse parochianus alterius Ecclesie, *capit. beneficium, de regul. Iuris in sexto.* Si vero professionem non faciat, nec in Monasterium conferat voluntate absolute vitam mutandi, debetur quarta parochialis ex bonis eius. *Archidiaconus & Gemin. in capitulo. Cum quis, de sepult. & Ioannes Andreas in capitulo, statutum, de rescriptis in sexto.*

Quid si in Monasterium ingressus, decesserit cum Novitius esset: Goffred. & Hosti. aiunt non deberi quartam parochialem. Angelus & Rosella sentiunt oppositum. Quid idem si in monasterium intraerit, cum morbo teneretur, ex quo & decessit: Panorm. respondet quartam deberi. Si vero cum in ægritudine esset, ingressus fuerit, & ex eo morbo non decessit? Innoc. generaliter ait: Si quis in Monasterium ingreditur, ut ibi fiat professus: ex bonis eius Monasterio acquisitis deberi quartam parochialem. Sed Panorm. oppositum docet, & merito, quia secundum Iura, quarta parochialis debetur, ex bonis relictis causa sepulture, & functis: at huiusmodi Religiosus morte naturali non moritur. Idem, si domicilium mutaret, quarta illa portio non deberetur Parochie: ergo nec in casu, cum in Monasterio domicilium haberet. Idem iuris est, inquit Sylv. de leproso, qui in leproforum hospitalium domum recipitur: non enim ex bonis eius quarta parochialis debetur: perinde enim est, ac si bene valens ad Religionem transisset: Debetur tamen quarta parochialis, si ex lepra decedit: multi enim cum lepra, sed non ex lepra moriuntur, Porro in hoc consuetudo patriæ est servanda.

Quartus casus: Quando quis legat aliquid Ecclesie, in qua sibi sepulturam non eligit, nec in ea sepelitur. *Glo. in c. 1. de sepult. Inno. c. 2. eo. tit. Archid. c. 2. eo. tit. in sexto.* quamvis in c. Placuit 13 q. secunda, oppositum dixerit cum Hosti. ca. 2. de sepult. Hosti. vero sententiam improbauit Ioan. Andr. in c. corrigendi. de sepult.

Quintus casus: Quando quis sepelitur in ecclesia contra voluntatem eius cuius est ecclesia: tunc enim non debetur quarta parochialis: velut si quis tempore interdicti sepeliatur in ecclesia Religiosorum Mendicantium, *Federic. consil. 119. Gemin. in cap. 1. de sepult. in sexto.* & ratio est, quia quarta parochialis debetur ratione iniuriæ factæ Parochie: sed iniuria Parochie non fit, quando Ecclesia recipit aliqua bona ab his, qui sepeliunt contra voluntatem illius, cuius est Ecclesia. Item quarta parochialis debetur,

quando quis sepelitur extra parochiam, in casu tamen iure concessio, non prohibito. Corpus vero, quod sepelitur, & omnia, quæ ratione sepulture habuit, debent Parochie restitui, sed non quartæ ex legatis non ratione sepulture relictis, nec ex bonis, quæ offeruntur ab amicis eius, qui defunctus est.

Sextus casus: Quando ecclesia parochialis erat interdicta culpa sua, non parochiani: tunc enim quarta Parochie non soluitur, quamvis quis extra Parochiam sepulturam elegerit, & sepultus fuerit. *Gemin. ca. 1. de sepult. in 6. sec.º* vero est, si ecclesia parochialis nullam interdicti causam dederit, tunc enim suo iure privari non potest. *Archi. & Gemin. loc. cit.*

Septimus casus est: Quando quis reuocat electionem, qua elegerat sepulturam legando, & alibi denuo eligit sepulturam. Vel alibi re ipsa sepelitur, etiam sine electione sepulture: quia paria sunt non eligere, & electionem mutare *l. 1. & 2. ff. de ademptioe legati,* & in secundo casu, videlicet, sepultura sine electione, inducit petitionem quartæ, *ultima 13. qu. 2. Federic. consil. 10.* Immo Gemin. c. 1. de sepult. in sexto. videntur docere, reuocata electione sepulture, reuocari quoque legatum, & deberi illi ecclesie, ubi quis eligit sepulturam: quia subrogatum intelligitur subrogatum cum omnibus conditionibus, oneribus, honoribus, & emolumentis. *leg. 1. §. Hac actio ff. Si quis test. liber. ff. in iust. rit.*

Octauus casus: Quando quis elegit quidem alicubi sepulturam, sed re ipsa non sepelitur. ubi elegit, vel quia ipsi heredes alibi sepeliunt, vel quia legator mortuus est alibi, & propterea sepeliri non potuit, ubi elegit, verba enim intelligenda sunt cum effectu. *l. 1. ff. Præteritum, in iuravit. & textus est in c. Relatum, de Clerico non resid. sic Federic. consil. 70. & Petrus Perusinus in suo tract. At Gemin. in c. 1. de sepult. in sexto.* sentit, in huiusmodi casu Ecclesiam non privari legatis causa sepulture factis, ut notatur in c. In nostra, de sepult. & ideo nec ecclesiam parochialem sua quarta portione privari.

Nonus casus: Quando legatum est Ecclesie parochiali tantundem, quantum continet quarta legatorum, quæ quis relinquit ecclesie ubi eligit sepulturam. *Sic Hosti. in c. officij, de testa & Paulus in c. de his, de sepult. & Petrus Perusinus loc. cit.* quamvis Goffred. Raynerius in sum. & Ioan. Andr. in c. officij, Federic. consil. 3. Ioan. Lignan. Clem. Dudum, de sepult. velint, non computari lege relictum ecclesie parochiali, nisi fuerit legatum hæc conditione, ut Ecclesia sit contenta huiusmodi legato loco Canonice portio sibi debita, & Rector id acceptare habeat. Hæc opinio loci habet, ubi est consuetudine recepta. Alio qui prima sententia videtur cum iure congruere: & tunc si minus est, quod legatur ecclesie parochiali, supplebitur, sicut filius computat sibi in legitimam portionem quidquid à patre sibi relictum est. *Si quando, & omnino. C. de inoffic. testam.* Quod si institutus est in parte minori, quam sit legitima sibi debita, iure petit, ut suppleatur. Quod si plus est legatum ecclesie parochiali, quam sit quarta, quæ sibi debetur, sibi retinebit.

Decimus casus: Quando quis tempore quo testamentum facit, & legatum relinquit, non eligit sibi sepulturam & postea ante mortem eligit, *Glossa in cap. Relatum, de sepult.*

Undecimus casus: Quando parochianus non potuit in sua Parochia audire diuina, & sacramenta percipere ob longam absentiam, & ita alibi eligit sepulturam. Ratio huius est, quia quarta parochialis debetur ob sacramentorum administrationem, & celebrationem diuinorum. *Clement. Dudum, §. Verum, de sepult.* & cessante causa cessat effectus. *ca. Cum cessante, de appellatione.* Idem si aliquid pro labore legatur, eo cessante, legatum cessat, *l. scio ff. de annuis legat. sic Baldus in cap. Relatum, de sepult.* Hostiensis tamen, & Ioannes Andreas in capitulo, *Relatum, citato,* & Petrus Perusinus in suo tractatu, sentiunt, in huiusmodi casu quartam parochialem deberi, quia Prælati

factum non nocet Ecclesie. Sed verior est Pauli sententia.

Duodecimus casus: Quando aliquid ecclesie relinquitur ad perpetuam diuini cultus obsequium, videlicet ob fabricam Ecclesie, vel ob vasa, & vestes, luminaria, ceteros diuinis vsibus destinatos.

Decimus tertius casus: Quando funus in aliquo loco reponitur ad tempus, & inde postea alio transferendum ad sepulturam perpetuam: tunc enim nec debetur, nec est sepultura.

Quinto quaeritur, An debeat quarta parochialis ex legato relicto ecclesie Rectori, in qua quis eligit sepulturam pro Missarum sacrificijs faciendis per illum? Debetur quia Episcopalis etiam quanta ex illo soluitur, e. *Cum inter vos, de verborum sign.*

Sexto quaeritur, An quarta parochialis debeat, ex bonis relictis iure institutionis, vt si quis heredem instituat ecclesiam, in qua eligit sepulturam? Quidam negant deberi, quia talis quarta solum ex legatis deducitur, capitulo, *Requisisti, de testament.* Sed verius est deberi: quod docent Ioannes Andreas, & Panormitanus capitulo 1. de sepul.

Septimo quaeritur, Verum talis quarta debeat ex his, quae relinquuntur Ecclesie donatione causa mortis facta? Debetur, quia donatio causa mortis magis accedit ad naturam, & conditionem legati, quam contractus leges *ultima C. de donation. & Clementina, Dudum, de sepul.*

Octauo quaeritur, Cui ecclesie debeat parochialis quarta? Debetur parochiali Ecclesie, vbi quis audire diuina, & percipere Ecclesiastica Sacramenta consuevit, & iure debuit, e. *Cum quis, de sepul. in sexto.* Quid si aliquis, dimissa ecclesia in qua sui maiores soliti erant sepeliri, alibi sepulturam eligit, debetur ne quarta parochialis ecclesie dimissa, An vero Parochiae? Debetur Parochiae, non ecclesie dimissae, capitulo *cum quis, de sepul. in sexto*; quia in Parochia audiuit diuina, & Ecclesiastica sacramenta suscepit.

Quid idem, si quis domicilium extra Parochiam transfulerit, & moriatur antequam nouum domicilium acquisierit? Archid, in c. 1. de sepul. in sexto, & Hugo, Raynerius & Goffred. & Vincentius sentiunt, deberi quartam ecclesie parochiali, quia in ea sepeliri debet, si non elegerit alibi sepulturam, aut si intestatus decessisset, *Glo. ca. primo, de sepul.*

Quid dicendum, roget aliquis, cum quis domicilium habet aequaliter in duabus Parochijs, vt habere potest. *capit. dilectus secundo, de re scriptis.* & extra illas sepulturam eligit? Hostiensis, & Innocentius sentiunt, tunc diuidendam esse quartam funeralem inter duas illas Parochias. Id expresse colligitur ex capitulo. *Cum quis, de sepul. in sexto*, quamuis Angelus dicat deberi quartam illi Parochiae, in qua decessit. Sed primum est omnino tenendum, & idem iuris est, si quis habeat vnum domicilium in confinio duarum parochiarum: vel habeat duas domos coniunctas in confinibus duarum Parochiarum *Glo. in c. cum quis, cit.*

Nono quaeritur: Cum quis in vna Ecclesia solitus est audire diuina, & in alia Ecclesiastica sacramenta percipere, vtri earum debeat quarta Parochialis? *in verbo, Canonica portio, quaestio, decima quarta*, sentit cum summa Pisana, soluendam esse quartam illi ecclesie, in qua consuevit sacramenta suscipere: quia huiusmodi quarta debetur ecclesie Parochiali: Sed proprie parochialis est ea ecclesia, in qua sacramenta suscipiuntur. Hanc sententiam probat ex capitulo. 1. de Sepul. & capit. *Cum quis, eodem titulo in sexto* & *Clementina Dudum, eodem titulo*: Innocentius tamen & Ioannes Andreas capitulo. *De his de sepul.* & Archidiaconus capitulo *Cum quis, eodem titulo in sexto* sentiunt, diuidendam esse quartam inter duas illas ecclesias, quia reuera in Parochia iure communi

audiri diuina, & sacramenta ecclesiastica percipi debent.

Decimo quaeritur, Quo ordine quarta Episcopalis & Parochialis deduci debeant? Respondet Hosti. in *summa, de sepul.* extrahendam esse primum quartam Episcopalem quippe quae est antiquior & dignior, quod si quarta parochialis primo fuerit extracta, tunc Episcopus habebit quartam ex quarta parochiali, & aliam quartam deducet ex reliquis bonis legatis. Item, si Presbyter parochialis negligenter se gesserit in petenda quarta parochiali, ius habet episcopus eam exigendi pro Ecclesia parochiali. *Hosti. in c. vlt. de success. ab intestato.*

Vadecimo quaeritur, Quid dicendum, cum quis eligit sepulturam in propria Ecclesia, & nihil ei legat, cum tamen multa leget aliis ecclesijs, poteritne propria ecclesia iure petere quartam portionem ex illis legatis, An solum debebit esse contenta funeralibus. Teste Syluestro in *verbo Canonica portio, q. 14.* Raynerius dicit, vbi consuetudine receptum est, vt qui eligunt sepulturam in propria ecclesia, ei certum aliquid relinquunt, posse ecclesiam id petere ab haeredibus defuncti, non quidem iure actionis, nec propter hoc sepultura dilata, sed impiorato superioris officio: vbi vero non est haec consuetudo, petere non potest, sed funeralibus tantum Ecclesia poterit esse contenta.

Duodecimo quaeritur, Quid dicendum, si infirmus in vna parochia praecipiat vt ad aliam parochiam deferatur, & ibi decessat? Respondet, cum Raynerio, & Hosti. & Syluestro in *verbo Canonica portio, q. 18.* prima ecclesie quartam partem esse soluendam, quia in ea morbum contraxit, ex quo decessit: & propterea non debet sua quarta priuari.

Decimotertio quaeritur, Quid sit constitutum in *Clementina Dudum, de Sepul.* circa eos, qui in Ecclesijs Praedicatorum, vel Minorum sepeliuntur? Sic est in ea *Clem. constitutum: Auctoritate Apostolica constitutum est ordinamus, vt dictorum Ordinum fratres, de obunctionibus tam funeralibus, quam quibuscumque, & quomodocumque relictis, distinctis, vel indistinctis, ad quoscumque certos, vel determinatos vsus, de quibus etiam quarta, sua Canonica portio dari suo exigi non consuevit, vel non debet de iure, nec non de dato, vel qualitercumque donatus in morte, seu mortis articulo, in infirmitate donantis vel dantis, de qua decesserit, quomodocumque directe, vel indirecte fratribus ipsis, vel alijs pro eisdem quartam partem, quam auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus, parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis largiri integre teneantur facturi & curaturi, quod nec alij, nec alij, a quibus quarta huiusmodi minime debetur, ad ipsorum fratrum utilitatem, vel commodum huiusmodi fiant relictis, aut in eos taliter data, vel donata procedant, seu quod in morte, vel lab infirmitate huiusmodi dandum, vel donandum fratribus ipsis existeret, in eorundem dantium, vel donantium sanitate sibi dari, vel donari procurent. In quibus per ipsos vitandis eorum intendimus conscientias onerare: vt si (quod absit) per fratres ipsos dolo, vel fraude quicquam in hac parte agi fortasse contigerit, prater id quod eos propterea dictis Sacerdotibus Rectoribus, & Curatis teneri volumus, etiam districta ratio in extremi iudicij examine requiratur ab eis. Ultra portionem autem huiusmodi, nihil valeant parochiales, Rectores Curati, & Praelati exigere supradicti: neque illi de quoquam possint aliquantulum coerceri. Consuetudines, consuetiones statuta, pacta, in quantum sunt praemissis, vel alicui praemissorum contraria, penitus reuocantes. Haec ibi. Et paulo ante constitutum est, vt Fratres dictorum Ordinum in Ecclesijs, vel locis suis vbi libet constituti libertatem habeant facultatem recipiendi ad sepulturam omees qui sepulturam elegerint in ipsorum locis, & Ecclesijs.*

Funeralia in praedicta constitutione intelliguntur, quae cum funere deferuntur: cuiusmodi sunt candelae, quae manu gestantur qui funus comitantur: qualia etiam

sunt que leguntur pro sacrificijs M. statum faciendis; imo secundum Cardinalem Paulum & Laurentium, funeralia sunt, quæcumque obveniunt ecclesiæ ratione funeris, siue antequam corpus in terra condatur, siue post, usque ad trigessimam diem. Funeralia enim dupliciter dicuntur, vel quia funus comitantur, vel quia causæ funeris offeruntur. Sed consuetudo non est, nisi ut quarta solvatur ex his, quæ cum funere obveniunt, ut sunt candelæ, equi, arma, & vestes: vel quæ offeruntur, dum funus est in ecclesiâ.

Item secundum Archid. & Cardinalem standum est consuetudini receptæ: nam ut prædicti Fratres possint ingredi Parochiam, solemni ritu procedentes ad suscipiendum, & levandum funus eius qui eligit sepulturam apud ipsos; alicubi est consuetudo, ut id prædicti fratres faciant, cum parochialis sacerdos admonitus ut funus leuet, id facere recusat.

Item si prædictis fratribus nihil legetur, sed datur aliquis frater executor ad certam pecuniæ quantitatem suo arbitrio distribuendam, & ipse distribuit in fratres, debetur quarta parochialis, debetur etiam, si is qui decessit, nihil eis reliquit, sed mandavit executoribus, ut ipsis dent aliquid vel promittant. Sic Card. Paul. & Glossa; secundum quos auctores etiam hoc habet locum in his, quæ relinquuntur ad usus non solum determinatos & certos; sed etiam incertos, siue usus sit sacer, ut pro Capella construenda, siue non sacer, ut pro victu.

Insuper si quis eligit sepulturam apud sorores prædictorum Fratrum, quarta parochialis non debetur, quia prædicta Constitutio est pœnalis: & ideo restringenda, non laxanda. Cardinalis vero ait, Clementem Quintum eam Constitutionem protendisse ad Fratres Eremitas Augustinianos, & Ioannem vigesimum secundum.

Quid dicendum, si defunctus petijt, ut cum habitu prædictorum fratrum sepeliatur? Debetur quarta parochialis ex his quæ legauit illis. Paul. & Card. in Clem. Dudum, citata. Sicut deberetur eadem quarta, si ad eorum Religionem transiret in morbo, ex quo decederet. Si quartas, Quid si defunctus mandauit, ut aliqua darentur singulis fratribus ad ipsorum commoda, nimirum ad emendos libros, vel vestes, & alia huiusmodi, ex hisne quarta pars erit perfoluenda? Erit perfoluenda. sic Paulus, & Cardinalis Clement. producta.

Et ratio est, quia illud censetur relictum Monasterio, quia Religiosus proprium quid habere non potest, & Non dicitur 12. quæst. Et ideo solum intelligitur esse relictum fratribus ad nudum eorum usum, nullo superioris reuocabilem. Item quarta debetur, si defunctus aliquid reliquerit huic, vel illi, ut curaret in ecclesiâ prædictorum fratrum construendam Capellam, vel emenda ornamenta, aut vasa ad diuinum cultum. Idem iuris est, si testator donauit prædictis fratribus aliqua in mortis articulo, aut causa mortis.

Quid si aliquis legata soluerit in vita, & postea in ecclesiâ Fratrum, in qua elegit sepulturam, sepeliri non potuit; aut quia interdicta est, aut quia alibi sepultus est, eo quod ad eam ecclesiâ casu deferri non potuit? Paulus ait, ex huiusmodi legatis deberi quartam. Cardinalis vero, quem sequitur Silu. q. 19. distinguit: Si sepultus est alibi ad tempus, postea transferendus ad ecclesiâ, in qua eligit sepulturam, quarta debetur: secus vero, si alibi sepultus est in perpetuum, quia quarta solum soluitur in ecclesiâ, in qua sepelitur.

Dubiæ quæstionis est, An prædicti fratres quartam parochialem debeant ex his, quæ legantur ipsis per eos, qui in ipsorum ecclesijs non sepeliuntur? Teste Siluestro, quæst. 19. Conclus. 7. Innocentius Archid. & Glossa negant debere, nisi id fieret fraude, & dolo, videlicet si defunctus alibi sepulturam elegit consilio fratrum, quibus reliquit legata: tunc enim quarta debetur. Idem iuris est, si prædicti fratres curauerint, ut legata relinquuntur forori-

bus Sanct. Claræ, vel Sanct. Catharinæ Senensis, vel alijs amicis, sperantes se ab illis talia legata habituros: hoc enim esset manifesta fraus.

Quæres, Cuius auctoritate prædicti fratres compellendi sint ad quartam funeralem, siue Parochialem solvendam? Glossa & Paul. in Clem. Dudum, aiunt compelli non posse, nisi per Iudicem competentem, videlicet per Papam, vel Legatum, vel Nuntium Apostolicum.

CAP. XIV.

De charitativo quod vocant subsidio Episcopis darsi consueto.

DE hac re opusculum edidit Bartholomæus Bellencinus vtriusque iuris Doctor, olim in Rota Auditor tempore Sixti IV. quod 124. quæstiones continet: item Remigius cognomento de Gony: diuisum in 66. quæstiones; & teste Nicolao Boerio dees. 133. Franciscus Patinus tractatum quoque vulgavit de eadem re. Mihi breuiter agendum est de huiusmodi subsidio, quoniam dari solitum est episcopis, & alijs superioribus Antistitibus, videlicet, Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis.

Primo quaeritur, An ex iure tale subsidium postulent episcopi? Respondeo, ex iure posse eos cuiusmodi subsidium exigere. Cum Apostolus. §. Prohibemus, de Censibus, ex Concilio Lateranensi sic decretum est: Prohibemus etiam, ne subditos suos tallijs, & exactionibus gravare presument. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superueniunt, ut si manifesta ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum, ab eis valeant auxilium postulare. Hæc ibi. item in c. conuergente, de officio Ordin. dicitur, Episcopum non debere exigere ab Ecclesijs suæ diocesis, nisi iura episcopalia, præter moderatum auxilium, quod iuxta formam Lateranensis Concilij, si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum charitate postulens, sicut ab alijs Ecclesijs eiusdem diocesis pro necessitate temporis sustinemus; Et in Clem. 1. de Excess. Pralat. §. Exigendo. habetur, Pralati in exigendo ab exemplis ipsorumque subditis subsidia charitatis excedunt nimum contra eos. Glossa in verbo exigendo: Episcopus, inquit, potest exigere charitativum, dummodo sit moderatum. Et in Extrava. Benedicti XII. (Vae electionis.) inter communes, de Censib. §. Præmissis. dicitur: Sciamus, quod si dicti Pralati, vel aliqui eorundem ex Apostolica indulgentia vel consuetudine, seu de iure petant sibi ab Ecclesijs, Monasterijs, & locis alijs, eorumque Capitulis, Collegijs, vel Conuentibus, Rectoribus, seu alijs personis moderatum, seu charitativum subsidium exhiberi, non possint à singulis Ecclesijs, Monasterijs, seu locis, pro subsidio huiusmodi ultra petere, vel recipere, etiam à volentibus, nisi quantum excederent singula procuraciones in pactum per nos superius moderata.

Secundo quaeritur, Quare huiusmodi subsidium dicitur charitatis? Secundum Hostiensem, & alios, in c. Conuergente, de officio Ordin. & Innocentium in c. Cum Apostolus, de Censib. & Paulum, & Cardinalem in Clem. Ad nostram, de Censib. dicitur Charitatis auxilium, quia à principio ex charitate peti debet, non per vim extorqueri: ut colligitur ex c. Ex parte, de Censib. Vocatur vero subsidium, quia, sicut subsidiaria actio datur, quando deest propria, & specialis. Institut. ad legem Aquiliam, §. vltim. Institut. de Interdict. §. vltim. Ita hoc subsidium postulatur, quando redditus propriae ecclesiæ satis non sunt ad onera sustinenda. Bellencius q. 14.

Tertio quaeritur, An subditi Episcoporum possint compelli ad huiusmodi subsidium dandum, cum iusta ex causa petitur? Ratio dubitandi est, quia dicitur subsidium charitatis, ergo ex charitate, non iniustitia debetur. Archid. in cap. Cauendum, 10. quæst. 3. varias super hoc refert opiniones, & nullam a se probat. Sic etiam Baldus in cap. Conuergente, de officio Ordin. Sed Innocent. in cap. Cum Apostolus, de Censib. eandem opinionem proponit. Sed tandem con-

cludit

cludit: Si subsit manifesta, & rationabilis causa, Episcopum posse subditos Clericos compellere ad huiusmodi subsidium soluendum. Sic etiam Hostiensis, Ioann. Andrens, Butrius, & Abbas in eo. cap. Cum Apostolus. Imo Lopus Allegat. 20. qua incipit: Si vacante, dicit: Possit Episcopum propter hoc Clericos excommunicare, quod probat ex Clemens frequens, de excessu. Pralat. & Auditores Rotae in notis deci. 23. qua incipit: Item extra Rotam petebatur consilium. dicunt: posse Episcopum in sua diocesi edictum proponere, ut ubique Clericus beneficium habens, non soluerit ei charitativum subsidium infra certum tempus, sit excommunicatus. Nec obstat, si dicas huiusmodi subsidium esse charitativum: quia officio Iudicis possunt diuites compelli ad dandam elemosynam egentibus tempore magnae famis & necessitatis. Item non impedit, si quis dicat, Episcopum non posse esse Iudicem in causa propria, cum id prohibeatur, l. i. C. Ne quis in sua causa, quoniam si subsit manifesta & rationabilis causa, quae spectet ad dignitatem & honorem ecclesiae, potest Episcopus esse Iudex in sua causa. Vt colligitur ex cap. Romana. de Penus, & docet Innoc. in c. Ex parte in Christo. de verb. signif. & Butri in cap. Cum venisset. de Iudic.

Ceterum, pro huiusmodi subsidio exigendo, & recipiendo, non possunt ab Episcopo loco pignoris capi, vel distrahi calices, libri, vel alia ornamenta diuini ministerij deputata. Paul. & Cardin. Clemens. Sic beneficiorum, de decimis.

Quarto quaeritur, Quanam sit iusta causa exigendi huiusmodi subsidium charitatis? Constat ex cap. Conquerente, de officio Ordin. & cap. Cum Apostolus. §. Prohibemus. de Consib. requiri manifestam, & rationabilem causam ad tale subsidium exigendum; ne subditi grauentur, plusquam par est: rationabilis autem causa censetur solutio debitorum, quae contraxit Episcopus pro suae Ecclesiae iure tuendo, videlicet, quando multa & magna sunt debita, & aliunde ex bonis ecclesiae solui commode nequeunt. Hostiensis in sum. rit. Vt Ecclesiast. benef. §. i. & in tit. de Consib. §. Ex quib. caus. Butri. & Imol. in c. Conquerente praedicto.

Secundo, Causa rationabilis est exigendi, si Episcopus magnas fecerit impensas in negotijs totius diocesis communibus pertractandis, Innoc. c. i. de statu Monach.

Tertio, Si Episcopus rem aliquam magni momenti emerit, necessariam ad suam ecclesiam conseruandam. Hostiensis locis supra citatis. Butri. & Imola praefato cap. Conquerente, Oldrad. conf. 104. quod incipit, circa propositam quaestionem.

Quarto, Si Episcopus iter facturus sit ad Papam, vel Imperatorem, vel Regem, ob suae ecclesiae, vel Diocesis, vel etiam totius ecclesiae generalis commune bonum. Innoc. c. i. de statu Monach. Hostiensis. Butri. & Imol. locis supra citatis. Paul. Card. & Anchar. Clem. x. de excessu. Pralat.

Quinto, Si Episcopus visitaturus sit limina S. Petri, vt iurandum impleat, iuxta id quod habetur in c. Ego enim, de Iureiuran. Hoc colligitur ex c. Equa. de Consib.

Sexto, Si Episcopus ad Generale Concilium vocatus, iter susceperit, iuxta id quod habetur in c. Placui: dist. 18. vt notant Innoc. & Ioann. Andr. in c. Graues, de Prab. Quid si vocatus, iturus sit ad Prouinciale Concilium? Potest nihilominus, secundum Innocentium exigere, cap. i. de statu Monach. quem ibi sequuntur Butrius & Panormit. Idem censet Bald. in l. Si quis ad declinandum, C. De Episc. & Cler. & Abbas in c. Conquerente, & c. Dilectus. de officio Ordin.

Septimo, Si Episcopus impensas necessarias, & alicuius momenti fecerit in aduentu Imperatoris, Regis, vel Principis, praesertim si ob ea habeat regalia, Bellene. qua. 22. post Archid. & Hugonem in c. Vnico, 10. q. 3. quamuis non debeat Clericos, vel ecclesias nimium in hoc grauare, vel ad hoc compellere.

Dubiae quaestiones est, Iure ne possit Episcopus tale subsidium exigere, si impensas fecerit alicuius momenti ad soluendam Annatam, quae solui consuevit, cum Antecessores promouentur. Item ad electionem suam in Curia Roma-

na prosequendam? Bellenci. qua. 16. affirmat posse exigere. Id probat ex cap. cupientes. §. Ad hac, & §. Si vero, de Elect. in 6. & Glossa ibi. Sic etiam Chassane. in Consuetudinib. Burgundiae, vers. Item etiam in secundo, & Card. cap. Cum Apostolus. de Consib. qu. 7. dicit: Consuetudine esse receptum, vt Praelati semel tantum exigant hoc subsidium in principio promotionis suae; & communiter tantum petunt, quantum soluant in Curia Romana pro primis fructibus, quandoq; minus. Et idem sentit S. Antonin. 3. part. tit. 20. c. 2. §. 10. vers. Sciendum etiam, de charitativo subsidio.

Contrarium tamen docet Remig. de Gony in suo tract. q. 5. n. 40. & seq. vbi ostendit, ex hac causa huiusmodi subsidium exigiur non posse, quamuis consuetudine vbi fuerit recepta, peti queat.

In dubium etiam vocatur, quid sit dicendum, quando fuerit orta contentio inter Episcopum & Clerum, contendente Clero, non esse rationabilem causam exigendi subsidium, Episcopo vero contrarium asserente: Hostiensis. Ioan. Andr. & Butri. in c. Cum Apostolus. de Consib. dicunt esse eligendos arbitros, qui litem componant. Id probant ex cap. Si Clericus. 11. qu. 1. Sic etiam Archid. 16. qu. 1. §. Iuxta sanctionem.

Quinto quaeritur, Quinam possint exigere huiusmodi subsidium charitatis? Constat ex cap. Conquerente. de officio Ordin. & cap. Cum Apostolus. §. Prohibemus. de Consib. id iuris Episcopos habere, ac proinde omnes Archiepiscopos, Primates & Patriarchas in Ciuitatibus & diocesis suis. Et de Romano Pontifice dubitari non potest, quin possit exigere ab omnibus clericis, & ecclesijs, quia liberam habet administrationem omnium beneficiorum. cap. secundo de Prabend. in sexto. & Clemens. i. Vt lite pendente, & cap. Nunc vero, & cap. Cuncta per mundum. undecima quaestione tertia.

Sed dubiae quaestiones est, An Archiepiscopus, Primas, & Patriarcha possint tale subsidium exigere ab Ecclesijs, & Clericis suae prouinciae extra Diocesim suam? Hostiensis in cap. Vt praeterita. de elect. videtur affirmare, eos posse. Sic etiam in eo cap. & Gaspar. Calderin. tit. de Consib. consil. 3. At Bellenci. in suo tractatu, questii. 2. negat id iure posse, quamuis consuetudine recepta alicubi id fortassis possit.

Quaeres, An Cardinales ab Ecclesijs suorum titulorum, in quibus iure communi iurisdictionem habent, cap. Querelam, de elect. tale subsidium petere queant? Ioan. Monach. in c. i. de Maiorit. & obed. in c. dicit, Cardinales in ecclesijs suorum titulorum habere iurisdictionem Episcopalem, & iura Episcopalia; & testatur, Papam ita sibi respondisse, eum sequuntur Ioannes Andreas, & Dominicus ibid. Butrius, Imola, & Abbas in cap. His qua. de Maiorit. & obed. & Cardin. in Clem. No Romani. §. Irritu, q. 2. de elect. ex quorum sententia colligi videtur, posse eos huiusmodi subsidium petere, quia iura habent Episcopalia; at inter huiusmodi iura est tale subsidium exigere, ergo illud habent. Deinde, quia possunt ecclesias suorum titulorum visitare, & ab eis procuraciones recipere, cap. Cum Apostolus. §. i. de Consib. ergo etiam tale subsidium exigere queunt. Sic Bellenci. in suo tract. qu. 3.

Quid dicendum de Apostolico Legato, praesertim à Latere? habebitne ius exigendi huiusmodi subsidium ab ecclesijs Prouinciae sibi delegatae? Bellenci. quaest. 12. censet, id iuris habere: quod probat auctoritate Speculatoris tit. de Legato, §. Nunc ostendendum, vers. Legatus, vbi dicitur Legatum Papae, cui commissum est plenae Legationis officium in sua prouincia, omnia libere, & immediate posse, quae quilibet Ordinarius iure, siue consuetudine potest.

Item Collegium Canonicorum, siue Capitulum, sede Episcopali vacante, potest tale subsidium exigere. Glossa in cap. Cupientes. §. Ad hac, in verbo, Aliunde, de elect. in 6. sic etiam Ioan. Monach. Archid. & Dominicus. ibid. Bellenci. q. 7. vbi addit, sacrum Cardinalium Collegium sede vacante, posse omnibus Beneficiarijs generale subsidium imponere.

re, si grauis, & euidentis causa subfit, puta si ecclesie periculum immincat, & dummodo imponatur ex omnium cardinalium consensu.

Vicarius Episcopi Generalis non potest tale subsidium exigere, nisi speciali ipsius episcopi mandato; hoc enim nullo iure est illi concessum, & proinde in generali mandato, quod accipit ab Episcopo, non continetur. *Bollen. quæst. 12.*

Administratores Generalis datus à Papa ecclesie Cathedrali vacanti, ius habet exigendi tale subsidium. *Bellen. q. 8.* Id probat *ex c. 1. cui, de elect. in 6. & c. vlt. de suppl. negl. Prælat. in 6. & c. Cum nobis olim, de elect.* Idem iuris & potestatis habere dicit Adiuuorem simpliciter Episcopo datum, quia Ioan. Andr. & Anton. Butr. docent, *c. vlt. de Cler. agrot. ante*, Adiuuorem simpliciter datum episcopo, omnia posse, quæ potest episcopus, præter alienationem honorum, quæ est sibi interdicta, *c. 1. de Cler. agrot. in sexto.*

Commendatarius item perpetuus, cui Ecclesia Cathedralis commendatur, iure potest tale subsidium exigere ab ecclesijs sibi subiectis, perinde ac si ecclesiam Cathedrali haberet iure tituli. *Bellen. q. 6.* Id probat, quia Archid. in *c. Nemo deinceps, de elect. in 6. & c. Qui plures 11. q. 1. Innoc. in c. Si confiteris, de Accusa. Card. in Clem. vlt. de Procurat. q. 12.* dicunt, commendatarium quamuis titulum non habeat, habere tamen legitimam administrationem, & exercere posse quæ sunt iurisdictionis, perinde ac si titulum haberet.

Quid dicendum de Prelatis Episcopo inferioribus? Respondet *Bellen. q. 4. & 5.* Iure quidem non posse tale subsidium exigere, sed privilegio vel consuetudine: & addit *ex Calder. cons. 3. de Consib. Præpositi, siue Præfectum totius Ordinis Regularis posse huiusmodi subsidium petere à Monasterijs Ordinis sui, pro sumptibus necessarijs ad gubernationem Ordinis, si aliunde ratione Præfecturæ non habeat bona, quæ ad id oneris sustinendum destinata sufficiant.*

Vltimo cum tale subsidium exigere, sit iurisdictionis Episcopalis, non Ordinis, Episcopus electus, & Romani Pontificis auctoritate confirmatus, id potestatis habet, quia statim potest obire & exequi, quæ sunt iurisdictionis. *Bollen. q. 9.*

Sexto queritur, Quinam iure debent soluere subsidium charitatis? *De hac q. Bellenc. q. 26. & seqq.* In primis Episcopus iure potest tale subsidium exigere à Clericis, & ecclesijs suæ ciuitatis, & diocesis, *c. Conquerente, de offic. Ordin. A Laicis vero non potest, ut colligitur ex c. Quia cognominis 10. q. 3.* Nec obstat, quod dicitur in *c. Cum Apostolicis. §. Prohibemus, de Consib.* à subditis posse episcopum cuiusmodi subsidium petere, quia quamuis simpliciter dicat subditis, intelligit tamen Ecclesiasticos, ut habetur in *præfatio c. Conquerente, & Archid. in ca. Cauendum. 19. q. 3.* concludit, non posse Episcopum procuracionem exigere à Laicis, quamuis Clerum, & Populum visitet, *iuxta illud quod habetur in c. Romana, de Consib. in sexto.*

Item non potest Episcopus tale subsidium postulare à Monasterijs, Ioan. Anand. Butrius, *Imola, cap. Dilectus, de offic. Ordin. Innoc. c. 1. de Statu Monach. Hostiens. in sum. tit. de Stat. Monach. & tit. De Consib. §. Ex quibus causis, vers. Item Episcopus exigit. Glossa cap. Inter castra. 10. q. 3.* Et quamuis hæc sit opinio communis, Abbas, in *cap. Dilectus, prædicto in cap. 1. de Statu Monach.* dubitat tamen, & dicit, quosdam in contrarium dedisse consilium: quibus ipse videtur adhæsisse, ex eo quod habetur *Clemen. 1. & 2. de Consib.* vbi dicitur Religiosos debere soluere iura Episcopalia & subire onera, nisi se tueri possint speciali privilegio Papæ, & consuetudine. Sed non est à communi sententia recedendum, ut ait *Bellen. q. 29.* Nec obstat, quod habetur in *Clem. 1. & 2. de Consib.* quia ibi sermo est de Monasterijs habentibus Ecclesias seculares sibi subiectas, quæ Ecclesiæ, antequam monasterio subicerentur, soluere consueuerant Episcopo tale subsidium charitatis, & alia iura Episcopalia, ac proinde censetur vnita Monasterio cum suo onere, cum

quo transiit res, *c. Pastoralis, de Decimis, & sine vilo detrimento eius Episcopi interest, c. Quia Monasterium, de Relig. domibus.*

Item, non potest Episcopus tale subsidium petere ab ecclesijs suæ diocesis exemptis. *Paulus, Cardin. & Anchar. in Clem. Frequens, de excess. Prælat. Bellenc. q. 32.* Sicut enim *ex c. Luminoso, 18. q. 2.* Episcopus iura & potestatem non habet in loco suæ diocesis exempto, ita vt nequeat ibi sedem suam collocare, nec aliquid imperare, nec Ordinationem quamuis leuissimam; ita nec potest ab ecclesijs exemptis.

Insuper Clerici nullum beneficium ecclesiasticum habentes, nullo iure coguntur Episcopo subsidium præstare, quamuis habeant amplum patrimonium, quia patrimonialia bona Clericorum non censentur Ecclesiastica. *Bellen. q. 31.* quamuis doctores, huic tamen sententiæ videtur subscribere.

Quid dicendum de Clericis inopia pressis & grauatissimis? Dicendum hos minime cogi ad tale subsidium præbendum, alioqui enim nimium grauantur.

Quæres, Quinam Clerici pauperes censentur? Respondet, *cum Bellenc. q. 30.* eos qui ex suorum beneficiorum redditibus nihil habent vltra commodum, & honestum victum: nam certe grauantur, si eorum victus minueretur.

Quid item dicendum de Clericis Beneficiarijs, qui excommunicati sunt, dum ab Episcopo eiusmodi subsidium exigitur? Ratio dubitandi est, quia quamdiu in excommunicatione persistunt nullos beneficiorum fructus percipiunt, *cap. Pastoralis, & ibidem Innocent. & Doctores de Appellat. & Glossa vlt. in capit. Studentur. dist. 30. Archid. in cap. Ad hac. dist. 32. Hostien. in sum. tit. de sent. excom. §. Quis sit effectus?* Respondet eos nihilominus esse cogendos ad subsidium præstandum, quia sua culpa in excommunicatione permanent, ac proinde non sunt immunes ac liberi ab oneribus & incommodis. Idem iuris est de Clerico suspensio à beneficio, qui suspensione durante, beneficij fructus non percipit, *secundum Gloss. & An. Butrium in c. Cum bona, de etate, & qualitat. Hosti. loc. cit. ver. Sed nunquid ita est de suspensio? Inno. in c. Sicut, de Cohabit. Cler. & mulie.*

Clericus beneficium habens, sed nullos fructus percipiens, aut habens quidem beneficij titulum, sed non professionem, v. g. Titius habet beneficium, sed propter assidua bella, vel inundationes aquarum, vel ob alium fortuitum casum, fructus non colligit, vel quamuis titulum habeat, beneficium tamen per vim, siue tyrannidem ab alio possidente, nullo iure cogitur ad huiusmodi subsidium Episcopo præstandum. *Paulus cons. 51. quod incipit: In Christi nomine, Amen. Quia exceptiones, & Bellenc. q. 34.* Contra vero potest exigi tale subsidium ab eo, qui est beneficij possessor, siue bona, siue mala fide. *Bellen. q. cit.* Quid si duo litigent de beneficio, quorum vterque contendit ad se beneficium pertinere? Respondet, cum eodem Auctore, tunc liberum esse Episcopo subsidium exigere ab eo quem maluerit: at si is qui subsidium soluerit, victus in lite fuerit, ab aduersario, ius habet repetendi tantundem quantum soluit alioqui iure compensationis vti potest.

Quid dicendum, si Rector Ecclesiam habuerit in vna diocesi, in alia vero prædia & possessiones, ex quibus fructus beneficij percipit, soluere ne debet subsidium episcopo, in cuius diocesi Ecclesiam habet, an vero Episcopo, diocesis, in qua sunt prædia, & possessiones Ecclesiæ? Respondet, *cum Bellenc. q. 35.* debere subsidium Episcopo, in cuius diocesi est ecclesia, quia tale onus sustinent beneficia ratione ecclesiarum, quas habent.

Si quæras, An Clericus pensionarius debeat subsidium ratione pensionis, quam percipit ex beneficio alicuius Rectoris? *Bellen. q. 37.* dicit vtrumque, scilicet Rectorem beneficij, & Pensionarium debere subsidium pro rata portione. *Idem docet Gigas de Pensionib. q. 38.* Sed reuera Curia Romanæ stylus habet, vt pensio auctoritate Papæ assignata

alicui

alicui, sit immunis, & libera ab omni onere, etiam subsidij Charitatis, quia cum Papa referuat pensionem Clerico, referuat eam tanquam annuum alimentum: alimenta vero concedi solent libera ab oneribus, & contritionibus, alioqui enim minuerentur. Opinio Bellenc. locum haberet, si pensio simpliciter assignaretur absque clausula, si libera, & immunis sit ab omni onere. Rector igitur beneficij debet ex toto subsidium Charitatis soluere, quando Papa Clerico pensionem assignat liberam ab omni subsidio charitatis.

Si roges, An episcopus postulare queat tale subsidium ab hospitalibus domibus causa communis pietatis extructis: Ratio dubitandi est, quia *ut ait Glosin cap. Romana, §. 1. de Censib. in 6. in verbo, (pia loco)* tales domus visitat Episcopus, & ab eis exigit procurationem. Conuenit inter omnes, *ut patet ex Bellenc. q. 28.* tales domus, quando titulum beneficij habent, obligari ad subsidium dandum. Tota difficultas est, An ab eis possit subsidium exigi, quando beneficij rationem non habent? Et tunc Bellenc. distinguit: Si Episcopi auctoritate fundatae non sunt, grauari nequeunt onere subsidij, quia litigiosa, & sacra loca non sunt, & possunt ad profanos vsus redire, priuata fundatoris auctoritate: at si Episcopi auctoritate fundentur, tunc Card. in Clem. Quia contingit, & Petrus Perus, *ut citat Bellenc. sententiunt, non obligari ad subsidium prestandum, quia etiam si episcopus ius habeat visitandi talia loca, ut pia & religiosa, nequit tamen exigere ab eis procurationem, vel alia iura episcopalia.* At Bellenc. loco citato affirmat, posse episcopum ab huiusmodi domibus, sicut ab ecclesijs suae diocesis exigere subsidium charitatis, & alia iura episcopalia. Probabilis est opinio.

Quid dicendum, quando ecclesia est in confinio duarum diocesium: An tunc dare subsidium charitatis debeat utrique episcopo, An vero vni tantum? De hac questione Bellenc. *quasi. 52.* Et videtur cum eo dicendum ratione dubij ambos episcopos concordare debere, ut alternis vicibus subsidium exigant, *argumento sumpto ex Clem. Plures, de Iurepatron.* Quod si conuenire renuant, tunc iure poterit Archiepiscopus praecipere, ut conueniant, eo quod talis eorum discordia est ecclesiae damnosa.

Quares, An successor in beneficio soluere subsidium cogatur, quod antecessor Beneficiarius non soluit, cum alioqui debuisset, v. g. Episcopus praecipit, ut sibi subsidium charitatis intra certum tempus daretur; Titius Beneficiarius intra illud temporis spatium fructibus illius anni perceptis, beneficium deposuit, vel mortuus est, vel ad aliam ecclesiam transiit, vel beneficium commutauit, successit in illo Caius, qui toto illo anno nullos fructus percipit: Quiritur iam, An Titius, qui fructus percipit, debeat subsidium soluere, An vero Caius Dominicus *cap. Praesenti, §. Porro, de offic. in 6.* dicit, Titium vel eius heredem esse obligatum ad soluendum subsidium, quia huiusmodi onus est reale, & imponitur ratione fructuum: at Bellenc. *q. 51.* censet id oneris impositum esse beneficio, ac proinde possessorem beneficij debere subsidium, quod solum non est tempore praeterito, *argumento ex l. Imperatores, ff. de Impensis, §. l. Haerentis, ff. de Vsufructu, §. l. Si pendentes, §. Si quid, ac.* Quicquid sit, potest Episcopus Titium vel Caium conuenire, ut maluerit, & subsidium petere.

Septimo quaeritur, An possit episcopus subsidium remittere, & Clericos, & ecclesias a tali onere immunes, ac liberās efficere: Innoc. in c. Pastoralis, de Decim. censet posse id facere: sed *ut testatur Bellenc. q. 47.* communis est opinio, id non posse. *Hosius, Ioan. Andr. Anton. But. Panorm. in cap. Cum venerabilis, de Censibus, Paul. & Anchar. in Clem. 1. de Iurepatronat.* Ratio huius est, quia huiusmodi subsidium iure communi, & publico debetur; ac tale ius priuatorum pactis tolli non potest. *l. Ius publicum, ff. de pactis, §. c. Si diligenti, de Foro compet.* Hoc autem non impedit, quin episcopus possit semel, aut iterum, cum subsidium exigit hunc vel illum Clericum aut ecclesiam liberare ab huius-

modi onere, dummodo ecclesia Cathedralis, vel ecclesiae non grauentur: nam solum est, episcopo sublata potestas eximendi ab hoc onere aliquem in perpetuum, vel ad vitam suam. *Bellenc. loco citato.*

Si roges, An iure possit episcopus cum Clero, & ecclesijs conuenire, ut subsidium alia re compensent; Potest, *ut docet Bellenc. q. 48.*

Ex dictis colligitur, non posse subditos praescribere, ita ut subsidium praestare non debeant, quia tale subsidium quadam naturali aequitate & lege charitatis debetur: sed contra haec praescriptio non currit, *Hosius, Ioan. Andrens, Butr. & Abb. in c. Cum Apostolus, de Censib. Paul. Anchar. in Clem. 1. de Iurepatronat.*

Item Canonicorum Collegium, sede vacante, nequit statutum condere, quo tale subsidium in futurum ex parte minuat. *Bellenc. q. 45.* nam quamuis possit statuta ponere, cum hoc sit iurisdictionis, & sede vacante succedat episcopo in his, quae sunt iurisdictionis, *c. His qua. & cap. Cum olim, de Maiorit. & Obed.* nequit tamen statuto suo aliquid detrahere ex his, quae episcopo iure conueniunt: hoc enim esset episcopi iura minuire.

Octauo quaeritur, An episcopus possit saepius subsidium charitatis exigere, an semel duntaxat? *Panor. in cap. Cum Apostolus, §. Prohibemus,* dicit posse exigere, dum subsit causa rationabilis & manifesta: sic etiam Cardin. in eod. *c. q. 7. Bellenc. in suo tract. q. 23. & Remig. q. 32.*

CAP. XV.

De aqua sacra, siue benedicta, quam aliqui Lustralem appellant.

UT generatim de omnibus ecclesiarum bonis, quem institui tractatum absoluiam, superest nunc, de Aqua benedicta, ut aliquid dicam.

Primo quaeritur, Qua de causa Aqua in ecclesia sacra, benedici, & adhiberi solet? Respondeo, cum sanctificari ad reconciliandam ecclesiam humani sanguinis, & seminis effusione pollutam: & tunc sanctificatur solum ab episcopo cum vino, & cinere, *c. Aqua, & c. Proposuiti, de Consecr. Ecclesie.* Item sanctificatur ad asperersionem hominum, domorum, & quarumlibet rerum venientium ad usum nostrorum, ad repellendos inuisibiles hostes, hoc est, ad prohibendam, & arcendam Daemonum nequitiam, ad leuia, & venialia delicta tollenda, & haec benedicitur à Presbytero cum sale, *c. Aquam, de consec. dist. 3.* nec possunt eam sanctificare & sacrare Diaconi, quia in *c. Aquam, & c. Perlethia, §. à Presbytero, dist. 25.* dicitur: *Benedicere dona Dei, est Presbyterorum, non Diaconorum. Et praecipitur Presbyteris, ut eam sanctificent.* Consuetudine autem receptum est, ut singulis quibusque diebus Dominicis benedicatur, *ut aiunt Angelus, & Siluest. in verb. Aqua benedicta.*

Secundo quaeritur, Quare Aqua benedicta, dicatur quid Sacramentale, non autem Sacramentum? Docet S. Thomas, & est communis sententia Theologorum, non esse Sacramentum, quia gratiam non confert, nec delet lethalia peccata. Est vero quid Sacramentale, quia nos aliqua ratione sanctificat, eo quod mundat à venialibus noxijs, & quodammodo preparat ad Sacramenta recipienda, quatenus arcet Daemonones, & eorum nequitiam reprimat, & dissoluit infidias.

Tertio quaeritur, Quenam sint Aquae benedictae virtutes? In *c. Aquam, de Consecr. dist. 4.* dicitur habere virtutem sanctificandi homines, scilicet, quatenus excitat mentis affectum ad pietatem, & religionem erga diuinam, & purgandi, siue mundandi nimirum nos à venialibus culpis, & auferendi sterilitatem rerum mundanarum instar salis, quod ab Eliseo Propheta immissum in aquas, sanauit eas, reddidit viles & salutes, cum haerentis fuissent steriles: & agendi, & multiplicandi bona, & auerendi Daemonum hostiles infidias, & defendendi nos à crebris malarum cogitationum incurfibus.

Quarto

Quarto quaeritur, Vtrum aqua cum sanctificatur, imprimatur aliqua virtus ei inherens? Communis est Theologorum sententia, non imprimi, & nihilominus dicitur habere virtutem diuinam, scilicet assistentem tantum, non inherentem sanctificandi, purgandi, & faciendi caetera quae dixi. Dupliciter enim aliquid dicitur habere virtutem diuinam, vel esse instrumentum Dei ad aliquid faciendum. Primo modo dicitur habere talem virtutem, videlicet qualitatem quandam inherentem, & sic credimus, & speramus, & amamus per fidem, spem, & charitatem virtutes diuinitus infusas: Sic etiam tria Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem, hoc est, supernaturalem qualitatem, qua rite afficitur, vel ad alia Sacramenta recipienda, vel ad fidem Christi publice profitemdam, vel recte, & sancte munera, & officia ordinum obeunda. Altero modo aliquid dicitur habere virtutem faciendi assistentem tantum, & hoc modo res animae & vitæ expertes, quæ in Ecclesia benedicuntur & sacrari solent, habent virtutem sanctificandi, & mundandi homines, ut docet S. Thomas.

Quinto quaeritur, An aqua benedicta leuius, & venialia delicta delectat in modum sacrati, An vero tanquam opus, quo mereri solemus? soluimus hanc quaestionem lib. 4.

Sexto quaeritur, An aqua profana, quæ sacrata non est, addita aquæ sacratæ, tota fiat sacrata? Inter omnes conuenit totam reddi sacratam: sed auctores in reddenda ratione, & causa dissentiunt. Angelus dicit hoc ideo esse, quia res sacrata, vtpote dignior, trahit ad feram sacram, etiam quantitate maiorem, quod probat ex *Glof. cap. Non asstimemus 13. quest. 2.* Sed *ut recte ait Syluest. illa Glof. non habet verba (quantitatem maiorem)* & fallum est: alioqui enim tota etiam maris aqua sacra fieret, eo quod ex parte aspergeretur aqua sacrata. Rosella causam reddit, videlicet: in aqua sacrata esse quandam virtutem supernaturalem, videlicet assistentem, vt dixi, non inherentem qua afficitur omnis aqua, quæ cum ipsa sacrata sit vna, etiam si fuerit quantitate maior. Ideo enim sacrata fit, quia fit vna cum sacrata, cui additur: nam cum tota aqua sit vna, non potest dici ex parte sacra, & ex parte non sacra. Et cum quod dignius est, trahat ad se minus dignum, & non è contrario, sequitur vt tota aqua sit sacra. At Syluester censet totam aquam non fieri sanctam, quando cumque additur aqua profana quantitate maior, vel æqualis, sed solum quando ipsi additur aqua, profana quantitate minor. Ex quo, inquit, fit, vt si modicæ aquæ sanctæ addatur profana quantitate minor, tota fiat sacra, & deinde si paulatim in infinitum adiungatur profana, sed semper quantitate minor, possit aqua sacra in infinitum augeri. Probat Syluester, quia sicut virtus naturalis non afficit totum, quod additur rei præexistenti, si quod addatur, fuerit quantitate maius: sic nec virtus supernaturalis non attingit quicquid adiungitur priori, in maiori quantitate. Sed Syluester, meo iudicio, non respondet ad argumentum Angeli, & Rosellæ. Nam in *capitulo. Quod in dubio. de consec. Ecclesie, & in cap. Cum Mariba, de celeb. Missæ*, generatim dicitur, in liquoribus qui commiscentur, & mixtione fiunt vnum, nimirum continuatione ipsa & confusione, dignius trahi ad se, quod minus dignum est.

Quicquid sit de argumento, & ratione Angeli & Rosellæ, probabilis videtur, vt philosophamur, in liquoribus qui mixtione & confusione fiunt vnum, eodem modo philosophamur in rebus animatis, & viuus, quæ ab interno principio augentur. Sicut enim caro animalis additione carnis paulatim augetur, & tota fit vna caro animata & viuua: sic etiam liquor sanctus si paulatim additione crescat, totus fit sanctus. At vero sicut caro animalis tota fit viuua accessu minoris carnis: sic etiam liquor sanctus, sic ex toto sacra, liquoris profani, atque in minori quantitate accessu.

Si obiicias, Quomodo hoc verum esse possit? quia si vino consecrato in altari, vinum profanum addatur, quamuis mixtione, & confusione fit vnum, non est tamen to-

tum sacrum, quia in vino profano, quod est additum, sanguis Christi non est? Respondeo, diuersam esse rationem, quia vinum, quod est in altari consecratum, amplius substantia vinum non est, sed sanguis Christi: & solum est quantitate, & qualitate vinum: at vinum profanum quod additur, non solum est quantitate & qualitate vinum, sed etiam substantia, eo quod verbis sacerdotis consecratur: vnde tamen cum vino sacro commixtum fiat vnum quantitate, non tamen substantia.

FINIS LIBRI NONI.

IOANNIS AZORII LOR- CITANI E SOCIE-

TATE IESV,

INSTITVTIONVM
MORALIVM
Pars secunda:

LIBER DECIMVS.

De his qui potestate, & iurisdictione
ciuili præditi præfunt aliis.

CAPVT I

De Imperatore Romanorum.



SECUNDI Libri initio dixi, Patres non solum vocari, qui nos natura genuerunt, vel legis præscripto adoperantur: sed etiam qui nos educarunt, instituerunt, tutela & cura suscepta gubernarunt: & denique qui potestate aliqua, & Imper. functi, nos moderantur, ac regunt. Et ideo dicendum est de iis, qui potestate profana ac ciuili præditi, liberos alioqui homines, sibi subiectos gubernant: Sicut libris proxime præcedentibus dixi de iis, qui in potestate Ecclesiastica, & sacra constituti, alios suo iuri commissos regunt, conseruant, & in officio continent.

Primo quaeritur, Quid nomine potestatis in præfenti intelligatur? Respondeo, potestatem dici, facultatem, qua quis dignitatem, ius, & Imperium habens, alios sibi subiectos gubernat. Vnde potestas accipitur in præfenti loco, pro iurisdictione.

Secundo quaeritur, Quotuplex sit hæc potestas? Respondeo, duplicem esse. Vna est profana, ciuilis, & temporalis: altera, est sacra, Ecclesiastica, & spiritalis. Per ciuilem potestatem gubernantur homines in iis, quæ ad temporalem Ecclesiæ pacem, salutem, & vtilitatem spectant: per Ecclesiasticam vero reguntur in iis, quæ ad Dei religionem pertinent: cuiusmodi sunt sacerdotes, sacrificia, aræ, & templa, siue ædes sacræ, quæ diuini sunt cultus & iuris, siue personæ sint, siue res, siue loca.

Item ciuilis potestas duplex est: vna suprema, altera inferior, & non suprema. Supremam habet potestatem, qui in temporalibus ciuilem alium superiorem non agnoscit, vt est Imperatoria, vel regalis potestas: talem etiam habent aliqui Principes, Duces, Marchiones, Comites, & liberæ ciuitates. Inferior vero, & non suprema potestas est, quam habent ij, qui in temporalibus ciuilem superiorem agnoscunt: quales sunt multi Principes, & Duces, Im-